APOLOGIA

PRO

Exorcistis, Energumenis, Maleficiatis, & ab incubis Dæmonibus molestatis,

IN QVATVOR PARTES DIVISA.

IN QUA

Demonstratur fuisse omni ævo, & ubique, modòq; esse, etiam apud nos, plurimos omnis ætatis & conditionis Energumenos, Maleficiatos, & ab incubis Dæmonibus molestatos.

CONTRA

Quosdam incredulos, obtrectatores, & temerarios Exorcistarum Censores, qui assertam veritatem pertinaciter inficiari non verentur.

CONTINENS INSVPER

Vera signa, & argumenta, ex quibus certò dignosci potest, an quis verè sit Energumenus vel maleficiatus, modosq; seu remedia efficacissima à Dæmonum potestate eos liberandi, qui tales ex dictis signis reperti fuerint.

S. mariae-Floris ordin[is] s. m. Birgittae Calcariae 1700.

CVM

Plenaria & exacta Exorcistarum, hanc in rem, instructione.


AD

SERENISS. PRINCIPEM MAXIMILIANUM HENRICUM, ELECTOREM COLONIENSEM, EPISCOPUM, ET PRINCIPEM LEODIENSEM, UTRIUSQUE BAVARIÆ DUCEM &c.

AVTHORE

Reverendo D. NICOLAO DE BORRE, *ad Sanctam* MARIAM *De Luminibus, in Suburbio Leodiensi Parocho.*

Lovanij, Typis GEORGII LIPSII Anno 1660.


CORNELL UNIVERSITY
The President White Library
RECEIVED 1891



SERENISSIMO PRINCIPI

MAXIMILIANO HENRICO

ARCHIEPISCOPO,

ET

ELECTORI COLONIENSI;

PRINCIPI,

ET

EPISCOPO LEODIENSI,

Vtriuſque Bavariæ Duci, &c.



Vêre omni ævo, ſuntque hoc noſtro, Princeps Serme. *in materiâ Dæmonum, Sagarum, Energumenorum, atque maleficiatorum, triplicis generis homines. Primi: Catholici quidem, qui Dæmones & Sagas dari credebant, ac credunt, ſed ab eis ullos morbos hominibus inferri poſſe, mordicùs negabant, atque negant, ideoque, omnes infirmitates, quibus detinentur, ipſaſque obſeßiones, cauſis naturalibus aſcribebant, & aſcribunt; Sicque, medicinis, & pharmacis ſuis, non autem exorciſmis, & remedijs Eccleſiaſticis tolli poſſe, ac debere volunt. Hanc doctrinam verè erroneam, & ab omnibus Catholicis medicis reijciendam, docuit Levinus Lemnius, lib. 2. de occultis naturæ miraculis, cap. 2. meritò ab Eccleſiâ reprobatus, quem interim plures hodie,*

 (vt au-

(vt audio) absque scrupulo, legunt & sectantur: vt nil mirum sit, quòd exorcismos Catholicos, inutiles reputent, & spernant, ipsisque Exorcistis vsqueadeo se infestos exhibeant, vt promiscuè de illis malè sentiant, atque loquantur.

Secundi generis: fuerunt, & sunt alij quidam, nomine quoque Catholici (an reipsâ, dubito) qui Sagas, seu Striges dari non tantùm pertinaciter negarunt, modòque negant, sed omnia, quæ de illarum translationibus, conventiculis, impietatibus, & horrendis obscænitatibus, ab illis cum Dæmonibus committi solitis, omnes Theologi docent, & historiæ approbatissimæ confirmant, explodunt, ac pro anilibus fabulis reputanda censuerunt, & censent, adeoque Iudices omnes, qui eas propter prædicta condemnant, & rogo iustissimè adiudicant, iniustitiæ ac iniquitatis impudentissimè insimulant. Tales habuit, sæculo præterito, Diœcesis Vtra. Coloniensis, nec non Trevirensis, Moguntina, aliæque celebres Civitates: quorum errorem, Germaniæ per quam præiudiciosum, duo excellentes Theologi, Iacobus Sprengerus, & Henricus Institoris, Ordinis Dominicanorum, pravitatis Hæreticæ in illis partibus Inquisitores, libro valde erudito (cui titulum fecerunt, Malleus maleficarum) ab omnibus Theologis Coloniensibus laudato, & approbato, accuratissimè reprobarunt. Eundem per id ferè tempus, in Galliâ docuit, & magno zelo inculcavit Ecclesiastes quidam celeberrimus, & Doctor Theologus, (cui nomen, Guilielmus de Furre) à Dæmone ad id inductus, prout tandem ipso abiurato, ad Deum & & Ecclesiam reversus ipsemet sponte aperuit. Ex quo factum est, cum maximo Provinciæ detrimento, vt timidis quibusdam Iudicibus qui illi nimis deferebant, à Sagarum condemnatione, & punitione deterritis, illarum numerus supra quam dici potest, excreverit: hujus à Dæmone seducti Doctoris, meminit Bodinus in præfat. Suæ Dæmonomaniæ, & in refutat. Ioannis VVieri, Medici quidem non obscuri, sed verissimè Dæmonum & Sagarum istarum Patroni. atque Aduocati, prout in omnibus ferè libri ipsius paginis videre est, quem idcirco Ecclesiâ Iure meritissimo reprobavit & interdixit: Meminit ibidem,

ibidem, dictus Bodinus, alterius cujusdam Medici, natione Itali, longè quoque nequissimi, & pariter malefici, qui Spiritus vllos dari, pertinaciter negabat, & execrandam suam hæresim omnibus inculcare atque persuadere satagebat: Hunc impium errorem, impius homo, ex Democrito, Alexandro, Simplicio, Hermete Trismegisto & Averroë, verisimiliter hauserat, qui epist. de resurrect. sibi persuasum habuit doctrinam de existentiâ Dæmonum, inde invectam, quod Viri sapientes, hæc terriculamenta commenti fuerint, ad continendos, & terrendos improbos, quasi, post hanc vitam exactam, supersint scelerum, & flagitiorum vltores, quos nos Dæmones appellamus: ita Atheus ille, & impius Philosophus forsitan igitur, ex infidelibus illis Philosophis, ac medicis absurdus, & ineptus ille error, cum neotericorum, tum priscorum medicorum processit, qui obsessiones, maleficia, aliaque opera magica, in morbos naturales referebant, modòque, vt supra dixi, referunt. In quos, magnus Origenes, verba illa *Matth.* 17. Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, *explanans acriter invehitur his verbis:* Medici, inquit, loquantur sibi, quæ volunt, quia nec immundum spiritum, arbitrantur, sed corporis aliquam passionem, & dicunt humida moveri in capite, secundum aliquam compositionem, ad lumen lunare, quod humidam habet naturam: nos autem, qui Evangelio sumus credentes, dicimus hanc passionem immundum spiritum in hominibus operari: observat enim quædam schismata lunæ, & sic operatur, vt ab observatione quorundam schismatum lunæ, [illegible]ati homines mentiatur: *ita doctus ille & acutus Author. Eundem errorem, acribus quoque verbis carpit, Michaël Psellus, Philosophus Christianus, anno M L. in suo libello, seu Dialogo, cum quodam Marco, ad fidem tunc converso, de naturâ Dæmonum, qui, illo referente, audiens, quinam Genij in hominum corporibus sibi domicilium figant, quæque nocumenta eis inferant, Medicorum illorum erroneam opinionem, his verbis ei exponit, & explodit:* ô Marce, alia quædam his diversa. Medici nobis persuadere

dere

dere nituntur, dum hujusmodi affectus, non à Dæmonibus procedere dicunt, sed potiùs ab humoribus, articulis, & spiritibus malè affectis: Itaque pharmacis & diętis, seu quibusdum vivendi legibus, non autem epodis, seu incantationibus & expiationibus, eos curare nituntur.

Hæc Psellus, qui sui ævi medicorum naturam, & indolem probè cognitam habebat; ad quæ, Marcus de illis quoque plenè informatus, hæc verba, notatu dignißima, reponit.

Nec verò mirum est, quòd hæc dicant Medici, qui præter illa, quæ sensu percipiuntur, nihil norunt, sed solis corporibus attendunt: Cæterùm, hæc meritò, à malè affectis humoribus procedere censentur: gravedines, lethargi, atræ biles, phreneses, seu deliria, quæ quidem curant illi, & tollunt, vel exhauriendis, evacuandisque humoribus, vel corporis vacui repletionibus, vel vnguentis. Enthusiasmos autem, insanias, & Catochas, seu spiritus immundos, quibus, qui correptus est, & detentus, nihil quicquam agere potest omnino, neque mente, neque sermone, neque phantasiâ, seu imaginatione, neque sensu: At aliud quoddam est, quod eos movet, & agitat, eaque loquitur, quæ ab eo, qui correptus est, ignorantur, idemque, futurorum nonnihil interdum prædicit; quâ quæso ratione, hoc loco, motus materiâ vitiatos appellaverimus? *Vtinam* (Princeps Ser^me.) *hanc auream Origenis, Pselli, & Marci doctrinam, Medici illi perpenderent, & observarent, qui (vt supra dixi) obseßiones & maleficia explodunt, morbosque per ea, hominibus inflictos in causas naturales referunt, & suis medicinis, non autem remedijs Ecclesiasticis, tolli & curari posse, omnibus modis contendunt, quorum temeritatem, & errorem in hâc mea Apologiâ fusè, & clarè redarguo, atque refuto.*

Tertij generis: sunt quidam increduli, & Critici, qui multos quidem fuisse olim energumenos credunt, sed nullos dari modò, aut rarissimos pertinaciter sustinent, tuncque dumtaxat, si idiomate Latino,

Græco,

Græco, aut alio ignoto loquantur: quæ opinio sanè ridicula & inepta; si in idiotis, & ignaris quibusdam sæcularibus, solummodo reperiretur, toleranda & dissimulanda foret; sed indignum prorsus est & dolendum quòd plurimi etiam Ecclesiastici, tam Regulares, quam sæculares, necnon Iurisperiti, alijque qui docti haberi volunt, vsqueadeo hoc crasso errore, defectu lectionis & praxis imbuti sint, vt nullum prorsus pro Energumeno haberi velint (licet interim plurima alia obsessionis signa plusquam sufficientia appareant) nisi & Latino Græco, aut alio incognito idiomate loquatur. Tales Criticos habuit paucis ab hinc annis Normandia, qui ex XVII vel XVIII. Monialibus, in Conventu celebri verissimè obsessis, de quibus in Synopsi quarti libri, nullam tamen ex tanto numero, Energumenam credere volebant, sed meras fictiones asserebant, & malignos ac calumniosos de illis earumque exorcistis rumores spargebant, contra quos, R^dus. Pater Provincialis Capucinorum dictæ Provinciæ, vir profectò, acutus, doctus facundus, & egregius Exorcista, calamum strinxit, atque ineptum eorum errorem, R^mo. D^no. Episcopo Eboracensi (qui ipsemet officio Exorcistæ fungebatur) alijsque Exorcistis, in hanc functionem, & sublevamen ab eo assumptis, nimis iniuriosum erudito, & eleganti libro (cujus Synopsim in hac Apologia exhibeo) egregiè refutant. Quod in Galliâ circa obsessas illas Moniales & Exorcistas probos atque expertos, anno 1644. & sequentibus, contigit, nuper & hodie apud nos circa meam personam, aliosque peritos Exorcistas & duas probas, ac honestas filias, ex Civitate Vestra Leodiensi, cum maximâ multorum admiratione, & mæstitiâ, videre est: has enim à me in Ecclesiâ nostrâ & alibi diu, multumque tentatas, probatas & exorcizatas ad sacra[...]tandem Sancti Huberti Ædes deduxi: quæ ibidem à Religiosis viris sanè doctis, expertis & summè charitativis, necnon alijs sæcularibus, toto vel circiter anno, & postea Treviris, per plures hebdomadas præsentibus Serenissimo Electore Trevirensi eiusque præcipuis Aulicis, & Trevirensibus Theologis, pariter diu multumque omnibus probis præmitti solitis probatæ & exorcisatæ, vnanimi

omnium

omnium consensu, verissimè obsessæ iudicatæ sunt, & ad me tanquam earum Pastorem, cum laudabilibus testimonijs, obsessionem earum, & virtutes continentibus remissæ sunt vti ex tenore eorum in hac mea Apologiâ adiunctorum fidem facio, quæ, à Celsitudine vestra Serenissima *videri peropto. Tot igitur, & tantorum virorum testimonijs nixus, dictas pauperes & egenas Filias, necdum liberatas suscepi, longoque tempore diu noctuque summis cum laboribus, & sudoribus per sex septemve quotidie horas, ex purâ charitate, absque vllo prorsus lucro exorcizavi, viresque propemodum exhausi. Cùm interim, ab alijs pluribus Energumenis, & innumeris maleficiatis, vndequaque advenientibus (omnes enim, etiam Religiosi, hoc grave onus detrectant) ita obrueret, vt vix mihi vacare possem, coactus sum, pro sublevamine, ad Reveren. Dominum Vicarum Vestrum recurrere, eumque humiliter rogare, vt me à tam arduo onere liberare dignaretur, miserisque filiabus, & alijs afflictis tantisper, dum vires resumerem, de peritis aliquot Exorcistis providere, sed nihil efficere potui: aliqui enim ex illis, omni auxilio & exorcismo destituti, post longum languorem miserè mortui sunt: illi verò ad quos dictæ filiæ missæ sunt (qui nullum vnquam obsessum, vt credo viderunt, nec vllam praxim, hâc in re habent) non credentes eas esse obsessas, probandas & tentandas censuerunt, atque in eum finem, probas aliquas, leves, seu potius ridiculas, ab Authoribus reprobatas (quas refero & redarguo) fecerunt, idque semel duntaxat, ac per breve tempus. Et quia vafri atque subdoli illi spiritus dictas filias obsidentes, signa ab illis quæsita & desiderata, maximè autem Latino idiomate loqui renuerunt, non modò censuerunt, eas obsessionem simulare sicuti Galli, de quibus supra, verùm etiam publico suo testimonio affirmarunt & affirmant, ideoque ex sacris ipsis Sancti Remigij Ædibus (in quibus probæ illæ factæ fuerunt) tanquam impias & sacrilegas cum sævitiâ inauditâ expulerunt, atque ab inde, omni convitiorum genere, quæ referre pudet, affecerunt, prout* Celsitudini vestræ *probabo, si opus fuerit. Nec his contenti,*

contenti,

tenti, meipsum aggressi sunt, & talia mihi, ipsisque (à quibus infor-
mati nescio) imposuerunt vt gravissimas persecutiones, molestias,
inhibitiones cum magno meo dedecore, perpessus fuerim modoq; pate-
rer, si Reverendi Domini, à Celsitudine V. deputati, falsitatem,
rebus maturè examinatis non detexissent, meamque & Filiarum in-
nocentiam agnovissent: prout ex illis C. V. suo tempore cum cæteris
quæ hanc rem concernunt, agnoscet: nam exorcismis vix bene inchoa-
tis, ob varia impedimenta illis occurrentia, & acre genus interesse
hactenus non potuerunt. Ecce, Princeps Serenissi: & Dñe Cle-
mentissime, quæ ego pertuli, pro arduo illo & laborioso officio, quod
ad Reverendi Domini, piæ memoriæ, Vicarij Vestri requisitionem,
ex purâ, vt dixi, charitate, absque vllo stipendio, & emolumento
suscepi, & totis duodecim annis, ita fœliciter (Deo opitulante) con-
tinuavi, vt plures Energumenos, innumerosque maleficiatos (ex qui-
bus multi fuerunt de Vestro fortalitio) à sæva Dæmonum tyranni-
de eripuerim.

Perpendens igitur & firmiter credens, quòd omnes illæ persecu-
tiones ac molestationes à Dæmonibus eorumque nefandis mancipijs,
mihi infestissimis (quibus tot annis, tam grave bellum movi) proce-
dant, qui virgas illas, nimium ipsis duras & acerbas, Exorcismos,
inquam (quibus tanto tempore, excepti fuêre) ex meis, aliorumque
Exorcistarum manibus, omnibus modis, astûtijs, & technis, eripere
moliuntur, sicque, in miseras illas inopes & insontes filias aliosque
obsessos & maleficiatos, pro suâ libidine, absque vllo obstaculo, sæ-
vire, & quod pejus est, Regnum suum ampliare ac dilatare, mihi,
contra illos, pro Dei gloria & animarum, Christi sanguine pretioso
redemptarum, scripto, & verbo decertandum censui, quæ certissimo
vitæ spiritualis ac corporalis discrimini exponerentur, si remedio,
pro illarum liberatione, à Christo, eiusque Ecclesia instituto & pror-
sus necessario, Exorcismo, inquam (prout increduli contendunt)
privarentur, ac libera illas vexandi & affligendi potestas Dæmo-
nibus, atque maleficis concederetur. Quod vt quantum in me est, im

pedire meamq; & dictarum filiarum innocentiam tueri ac defendere valeam, necesse fuit hanc Apologiam conscribere, & contra incredulos, ac calumniatores, aliosq; quoscumque sequentia demonstrare.

Primò quidem, & ante Christi in mundum adventum, & de post, plures fuisse in toto Orbe Energumenos.

Secundò: fuisse etiam, modòque esse, in hoc nostro sæculo, eosque non paucos & raros, prout autumant, sed plures, tam in Ciuitate, quam Diœcesi Vestra Leodiensi, qui interim, defectu Exorcismorum, sub miserâ Dæmonum tyrannide gemunt, tabescunt, & tandem emoriuntur, quod sane dolendum est.

Tertiò: dictas filias esse verissimè obsessas, quod clarissimè demonstro, & convinco.

Quartò: Et quia adversarij multa obijciunt, ad oculum, vt dicitur, ostendo omnes eorum objectiones esse futiles, & ex harum rerum ignorantia procedere.

Quintò: Demonstro quoque fuisse semper, modòque esse, plurima & diversa vbique maleficia, quæ solis remedijs supernaturalibus tolli possunt.

Sextò: Ostendo per quos, & qualiter obsessiones & maleficia dignosci possint, ac debeant & qualiter obsessi atque maleficiati liberentur.

Denique, quia Exorcistarum munus arduum prorsus est, summeq; periculosum, & absque vllo effectu, si scientiâ, & praxi ad id requisitâ destituti sint, præcepta & documenta vtilissima, imò necessaria, ex selectis atque expertis quibusque Theologis desumpta, & ex longâ praxi atque experientiâ petita, eis trado, quibus instructi, contra Dæmones, eorumque ministros fæliciter & cum magno fructu decertabunt. Ex quo etiam fiet, vt plures Vestri Pastores, qui defectu praxis, hoc officium obire reformidant, atque idcirco suos quotidie Parochianos ad me remittunt, nimiumque me gravant, eos, ipsimet sublevare poterunt, sicque magno me onere liberabunt. Hanc præsentem Apologiam, non sine magno studio & labore, inter officia Pastoralia,

ſtoralia, à me conſcriptam, Celſitudini veſtræ Sereniſſimæ (*ipſius benignitate & clementia fretus*) *inſcribere non dubitavi vt per eam quantas hactenus in tam arduo & charitativo officio perpeſſus fuerim perſecutiones, ſicque, qualem pro meis omnibus laboribus mercedem retulerim, aliquò vſque agnoſcere poſsit, meque ſuâ authoritate contra æmulos & adverſarios omnes tueri & protegere dignetur. Ignoſcat interim, pro ſuâ benevolentiâ, ſi longiùs, quàm par eſt, digreſſus fuerim: neceſſe enim fuit de præmiſsis omnibus eã certiorem facere, vt cæteros omnes Exorciſtas, quos hic inſtruo, qui laborioſum illud periculoſum, & Criticorum oblocutionibus, ac cenſuris expoſitum munus, poſtmodum ſuſcipient in ſuam ſingularem protectionem ſuſcipere dignetur, miſeriſque Energumenis, & maleficiatis, quorum ingens eſt numerus, pro Paternâ ſuâ ſollicitudine, providere dignetur, huicque meo opuſculo, contra Dæmones, eorumque nefaria & impia mancipia conſcripto (dum aliud prolixius, & ſubditis veſtris vtilius, iam pridem, magno labore & ſtudio contra impios & impoſtores miniſtros, Gallico & familiari idiomate elaboratum, prælo dare, ſi Deus media ſubminiſtret, paro) pro ſuâ Clementiâ, benignos oculos concedere dignetur. Hac ſpe nixus, finem faciam, &* Celſitudini veſtræ Sereniſſimæ *à Chriſto Ieſu, Virgine Matre, & S. Henrico Patrono Veſtro, ſalutem ac fælicitatem deprecabor. Ex ædibus noſtris Paſtoralibus, Sextâ Martij,* 1660.

Celſitudinis Veſtræ Sereniſſimæ.

Humillimus & deditiſsimus In Chriſto Filius, ac Seruus.

NICOLAVS DE BORRE, Eccleſiæ Veſtræ Parochialis Noſtræ Dominæ de Luminibus in GLANO, Paſtor indignus.

CENSVRÆ.

HÆc Apologia pro Exorcistis, energumenis & maleficiatis erudita est, fundata in Scripturis sacris, Ritualibus Ecclesiasticis, & Sanctorum Patrum, aliorumque Doctorum Catholicorum scriptis; instructionem continens longâ multorum artis exorcizandi peritorum praxi, & experientiâ observatam ac probatam. Ideòque prælo & publicâ luce dignam censeo. Dat. Lovanij die 24. Augusti 1659.

IACOBVS PONTANVS.
S. Theol. Doctor & Professor Lovanij, ac Lbrorum Censor.

IN hac Apologia, pro Exorcistis, & exorcismis Ecclesiasticis, quædam sunt de fide, ex sacra Scriptura, traditione & praxi Ecclesiæ; quædam moraliter certa, ex Sanctis Patribus, Ritualibus, Ecclesiasticis, & experientijs publicis, quædam videntur nobis aliquando gesta ex instinctu speciali. Reliqua probabilia & mutabilia, ideòque mereri publicam editionem. Datum Leodij hâc 18. Augusti 1659.

Fr. MATTHIAS HAVZEVR
S. Theol Professor.

Fr. LAMBERTVS BENOIST
S. Theol. Lector.

PRÆFAT.

PRÆFATIO.

AD VENERABILES DOMINOS,

Dominos Pastores Civitatis, & Diœcesis Leodiensis, ac alios ubicumque locorum existentes Confratres meos Dilectissimos.

NE miremini, Venerabiles Domini Confratres, me hanc Apologiam, tanto labore & studio conscripsisse, tantoque molimine, Sacras Evangelistarum paginas, monumenta Patrum, & omnium ætatum ac Regionum historias percurrisse, ut demonstrem fuisse omni ævo, & ubique modoque esse, etiam apud nos, plures energumenos & maleficiatos: licet enim hæc veritas doctis & probis Catholicis comperta sit: non defuerunt tamen omni sæculo, neque etiam nunc desunt, increduli & temerarij (ne dicam Athei) quidam homines, qui ex crassa quadam ignorantia, vel temeritate, & præsumptione non ferendâ, omnia quæ de Dæmonibus, Strigibus, Energumenis, & Maleficiatis, & Incubis Scholæ tradunt, irrident, & explodunt: Horum igitur impudens, ineptus, ac Reip. perniciosus error manifestari, redargui, & refutari debuit; Ecclesiasticorum exorcismorum authoritas, ac efficacia defendi, Exorcistarum (quos illi, cane peius & angue, oderunt atque calumniantur) honori atque miserorum energumenorum, & maleficiatorum saluti consuli, qui sublatis Exorcistis, eorumque exorcismis atque remedijs, ad Dæmonum expulsionem, & maleficiorum solutionem, planè necessarijs, toto vitæ decursu, sub miserrima sævorum Dęmonum tyrannide gemerent, tabescerent, & tandem emorerentur, si Levini

Lemnij, & ſectatorum eius placita (qui plus ſuo marſupio, quàm ſanitati ægrorum ſtudent) obſervanda forent. Ad hæc cùm Gallia, Italia, Germania, noſtraque Civitas & Patria Leodienſis, præſumptuoſos quoſdam, audaces, ſciolos, & Criticos ſemper habuerit, modòque habeat, qui veras & indubitatas Dæmonum obſeſſiones, fictiones reputant, ſuoque temerario & pravo judicio, Divini moniti immemores dant (nimium profectò crudeliter & indiſcretè) afflictionem afflictis, eoſque calumniantur, ac perſequuntur, quos conſolari & tueri ex charitate Chriſtianâ deberent, illorum ſævitia, imprudentia, temeritas, craſſaque ac ſupina, quâ in materia dęmonū energumenorū, maleficiatorū, & incuborū laborant ignorantiâ (qui interim rerum omnium cognitionem & ſcientiam ſibi arrogant) monſtranda, ac refutanda fuit. Hanc autem Apologiam pro majori veſtra facilitate & claritate, in quatuor partes diſtribuere volui.

Prima, argumentis ſolidiſſimis & irrefragabilibus contra Atheos, & incredulos omnes probat & convincit fuiſſe, tam ante Chriſti incarnationem, quàm depoſt, plurimos omni ævo, & ubique, modòque etiam apud nos, ut dixi, Energumenos & maleficiatos, non obſtantibus Criticorum quorundam frivolis rationibus & objectionibus, quas omnes exactè perpendo & clariſſimè diluo, de quo veſtrum requiro judicium.

Secunda, agit de maleficiis, & maleficiatis, quomodo, qualiter & à quibuſdam dignoſci poſſint ac debeant: in qua videbitis quàm malè & impertinenter medici quidam, hoc ſibi ad excluſionem Theologorum aſſumant, quos meritò redarguo.

Tertia & quarta, Venerabiles Dominationes Veſtras, & omnes qui officium Exorciſtarum obeunt, vel obire volunt, potiſſimùm reſpicit: cùm enim totis & ampliùs duodecim


annis

annis à vestris Parochianis obsessis vel maleficiatis (quos ad me mittitis, vel sponte veniunt) supra modum graver: idq; ex eo potissimùm quód VV. DD. Vestræ (licet aliàs doctæ & eruditæ) praxim atq; experientiam ad eiusmodi functionem necessariam non habeant, neq; etiam facultatem exorcizandi. Ut hanc igitur excusationem & omnem prætextum tollam ac præscindam, in hac tertia parte & in quarta omnia documenta ad id necessaria & requisita, ex pluribus doctissimis atque expertis Authoribus, magno studio & labore attentè à me perlectis (quorum catalogum infrà videbis) selecta, atque etiam ex longa praxi & experientia petita, Vobis trado: quibus memoriæ commendatis & diligenter observatis, ausim spondere quòd in perfectos Exorcistas brevi evadetis, & cum magno fructu ac merito, absque difficultate & periculo hoc munus, licet arduum, obibitis. Quod ad secundum attinet, hoc scrupulo Vos infrà libero, quandoquidem demonstrem ex omnibus Theologis, quorum nonnullos refero, non requiri aliam potestatem, quàm Ordinis, quam omnes habetis: Præter illam, audietis ex doctissimo viro Martino Delrio, hoc officium esse proprium Pastorum adeòq; nullum à Superioribus ad id speçialiter deputari debere. Nec est quod vos deterreat constitutio Synodi nostræ Leodiensis, quâ prohibetur, ne quis officium exorcizandi exerceat absque Ordinarij potestate: Primò enim, ut suo loco audietis, dicta constitutio agit solùm de energumenis (idque non absque ratione, ne quilibet ad tam arduum & periculosum munus absque qualitatibus requisitis se se ingerat) quæ ratio cessat in maleficiatis tantùm, quos proinde absque ullo Superiorum contemptu (qui semper, maximè in hac functione, cavendus est) exorcizare potestis, uti & bruta animalia maleficiis correpta, pro quibus sanandis, multoties nos importunis precibus fermè coactos, ad vestras

Parochias

Parochias cum summo nostro incommodo exercere oportuit: Ex quibus agnoscetis, uti & omnes malevoli, quod communi bono, non meo particulari studeam, quandoquidem meam omnem hac in functione scientiam & praxim, quam tanto studio & labore mihi comparavi, VV.DD. aliisque omnibus, qui officium illud aggredi volent, tam liberaliter tradam.

Hoc igitur donum & operam meam pro Dei gloria in favorem vestrum, nec non Parochianorum vestrorum commodum (qui remedium in suis Parochiis habebunt) non sinè magno studio & labore, ut dixi, à me inter officia Pastoralia & quotidiana exorcizandi impedimenta conscriptum, æqui boniq́ue consulite: & si quid minus politè ac exactè in tanta rerum varietate scriptum fuerit, vel fortè omissum, aut erratum, pro vestra humanitate & benevolentia exorcizate, meque sive vivum sive mortuum vestris sacrificiis & precibus commendatum habete. Valete. Ex ædibus nostris Pastoralibus, sextâ Martij 1660.



APOLOGIÆ

Pro Exorcistis, Exorcismis Ecclesiasticis, Energumenis, Maleficiatis & ab incubis Dæmonibus molestatis.

PARS PRIMA.

CAPVT PRIMVM.

Quòd plurimi fuerint ante Christi Incarnationem Energumeni.



On sine magna ratione Sancta Ecclesia Mater nostra, saluti filiorum suorum consulere volens, non solùm Hæreticorum libros, verùm etiam nonnullorum Medicorum, & inter eos, Levinij Lemnij, & Joannis Wieri, de præstigiis Dæmonum, lectionem interdixit: ille enim Lemnius, inter alia, Hippocratis, Avicennæ, Pomponatij, & aliorum quorundam principijs inhærens, negat lib. 2. de occultis naturæ miraculis, cap. 2. ullos morbos per Dæmones hominibus inferri posse, quos omnes proinde ad causas naturales esse referendos, omnibus modis, contendit: imò, in tantam absurditatem, & ineptiam labitur, ut ne quidem eos, pro energumenis haberi velit, qui peregrino & insueto, quod nunquam calluerunt, idiomate loquuntur, quia naturaliter,

 inquit,

inquit, per certos morbos id fieri potest: alter verò, Ecclesiæ cæremonias, exorcismos, & exorcistas tacitè, contemnit, & omnia ferè, quę de sagis earumque maleficiis, Theologi & Medici Catholici tradunt, ridet & explodit, aliaque multa absona & magica ex suo præceptore Agrippa, omnium maleficorum facilè Principe, hausta & deprompta tradit. Cùm interim perniciosi illi & damnati libri, sint pluribus Medicis & aliis, nescio an Catholicis familiares, quid mirum, si plures ex illis, hodie sectatores habeant, qui idem credunt, & asserunt? contra quos eruditi & zelosi viri Feuardentius Doctor Sorbonicus, & Hieronym. Mengus, ex familia Seraphici Patris Francisci, & verbo & scripto sępiùs ferventissimè ac doctissimè decertarunt. Ille profectò (cuius nomini parco) se insigniter incredulum, & exorcismorum irrisorem, vel Levinij discipulum & sectatorem paucis ab hinc annis exhibuit, qui quemdam miserum juvenem, nomine Paulum, verissimè obsessum (quidquid increduli quidam contradicant) quibusdam potionibus & pharmacis liberare & sanare tentavit. Idem de illo censuerim, qui alium juvenem Germanum verè quoque energumenum, & de facto, post longos labores & exorcismos, per Religiosos S. Huberti liberatum, suis quoque remediis sanitati restituere studuit. Quod illi tentarunt, alij plures erroribus istis imbuti faciunt: hinc cum dicto Wiero, exorcismos spernunt, Exorcistas calumniantur, de illis conqueruntur, ipsisque exorcismos interdici viis omnibus cum gravissimo Reipub. præiudicio & certissima afflictorum perditione moliuntur, (plus marsupio suo quàm illius bono, illorumque saluti studentes.) Hunc igitur absurdum & perniciosum errorem, hoc capite & sequentibus refellam, eorumque malis conatibus in quantùm mihi licebit, obsistam.

Primò

Primò igitur; incredulis istis irrefragabile testimonium produco, Christi scilicet, contra quem nulla exceptio, nisi ab Ethnicis & Atheis allegari potest. Cùm enim Scribæ & Pharisęi ipsius hostes infestissimi objicerent, quòd in nomine Belzebub Principis Dæmoniorum ejiceret Dæmonia, ut videre est Lucę 11. quid ad tantam calumniam respondit? an Dæmonia, an energumenos negavit, quæ duo certè pro sui defensione neganda erant? nequaquam; sed ad tantum crimen hoc unum reposuit, *Filij verstri in quo ejiciunt?* qui autem putas, sunt isti filij, nisi Exorcistæ Judęorum, qui Christi adventum præcesserunt, & Dæmonia ejiciebant?

Quòd autem per filios istos, Exorcistas Judęorum Christus intellexerit, ex Josepho clarissimo antiquitatis Hebraicæ Scriptore, manifestum evadit; qui de Salomone scribens, sequentia refert lib. 8. cap. 2.

[Præstitit autem ei Deus, ut etiam contra Dæmones, artem ad utilitatem hominum, & eorum curas ediſceret; & incantationes instituit, quibus ægritudines solent mitigari, modos etiam coniurationum, quibus obstricti Dæmones, ne denuò redeant, effugantur, invenit, & hæc cura hactenus apud nos multùm prævalere dignoscitur:] Et paulò post:

Vidi enim quendam Eleazarum de gente nostra, præsente Vespasiano, & eius filijs, & Tribunis, alioque simul exercitu, curantem eos, qui à Dæmonibus vexabantur: modus autem medicinæ fuit huiusmodi: intulit naribus eius, qui à Dæmonio vexabatur, annulum habentem subtersignaculum, radicem à Salomone monstratam, & deinde Dæmonium per nares odorantis abstraxit & repente cecidit homo: postea conjuravit eum, juramentum obijciens Salomonis, ne ad eum denuo remearet, id est, Cantica, quæ ille composuit, edicens super eum: volens autem satisfacere, atque probare præsen-

 tibus

tibus Eleazarus, hanc ſe habere virtutem, apponebat ante eos, aut calicem aquâ plenùm, aut pelvim, & Dæmonio imperabat, ut egreſſus ab homine,hæc everteret, & videntibus præberet jndicium, quòd hominem reliquiſſet: Ecce vides ex Joſepho, teſte fide digniſſimo, quod longè ante Chriſti incarnationẽ,ut dixi,fuerint energumeni, imò quòd ſignum exitus,prout nunc à nobis fit,Dæmon dare cogebatur:Et ne contra Ioſephum excipias, quòd ſit vnus teſtis, adeoq;quod fidem non faciat, audi Epiphanium, qui hæreſi 30. contra Ebionitas, refert Iudæos ultra ritus à Salomone, ad pellenpos Dæmones traditos, etiam in eundem finem adhibuiſſe nomen ineffabile, *Tetragrammaton*, cui eum illud ſcire, aut proferre licuiſſet pellendi quoque Dæmones poteſtatem datam fuiſſe teſtatur.Quid plura? Ethnici ipſi, hâc in parte incredulis meliores, hanc veritatem eo ipſo agnoverunt, quo Dæmones,per Dæmonia ſe expellere poſſe crediderunt.Certè Apollonius Tyanęus, hanc poteſtatem ſibi vendicavit; & de facto tot ſibi diſcipulos conſcivit, ut Euſebius octo libros adverſus Philoſtratum ipſius Præceptorem, conſcribere coactus fuerit:nec ille ſolus pro hac veritate deponit:Leo enim Africanus, de certis famoſis Magis agens refert, quòd poſt ductos aliquot circulos & characteres in fronte energumeni expreſſos, Dæmones ex corporibus Dæmonum expellebant. Eoſdem ritus obſervaverunt quidam alij Gentiles, quorum S. Iuſtinus martyr mentionem facit, in orat.ad Gentiles, & omiſſis alijs exemplis (ne primum hoc caput prolixius evadat) hâc arte etiam illi uſi ſunt, quorum meminit S Gregor. lib.1. dialog. cap.9. qui adductam ad illos nobilem quandam filiam, magicis ſuis in cantationibus à Dæmonio quidem liberaverunt, ſed integræ Dæmonum legioni oſtium ad eandem ingrediendum aperuerunt: Et quia

forte

forte increduli nostri Gregorium non habent, verba ipsius fideliter transcribam.

Miro, inquit, Dei omnipotentis judicio, dũ arte perversâ unus ab ea expellitur, in eam subitò legio intravit: cœpitq; ex hora illa tot motibus agitari, tot vocibus clamoribusque perstrepere, quot spiritibus tenebatur. Quid ad hæc increduli? ecce mulier & quidẽ nobilis, non ab uno Dęmone, sed à 6666, obsessa: tot enim una legio, iuxta multorum computum, continet. Si nos hodie tale quid de energumena una assereremus, quantis nos ludibrijs & contumelijs exciperẽt? Sed quid Gentilium, & aliorum hominum testimonium quęrimus, cùm sacræ paginæ id expressè testentur? nonne Scribæ & Pharisæi Dæmones per Dæmonia pelli hoc ipso, se credere testantur, cum Dæmonum expulsionem à Christo fieri solitam, videntes ex vaticano in ipsum odio, & invidiâ clamabant: *In Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia*? Lucæ 10.

Verùm non mireris, cum hæc audis & legis: Theologi enim docent ex singulis Angelorum ordinibus plurimos esse lapsos, adeoque alios aliis nobiliores & potentiores, qui proinde inferiores ex sedibus suis pellere possunt: Et licet ex responsione Christi, ad impios illos Pharisæos, colligi videatur, id non fieri, ob rationem per illum allegatam, tamen non ita est, nec id ex discursu ipsius sequitur, hoc enim solum ipse voluit, Dæmones ordinariè non expelli invitos à corporibus hominum per socios: quando enim ad illorum imperium exeunt, non tam ab illis expelluntur, quàm sponte egrediuntur, & hoc modo discursus Christi ad Pharisæos, verus manet, quo ait Regnum Diaboli divisum non esse, & in hominum perniciem omnes conspirare. Ex præmissis igitur, liquet, fuisse ante Christi incarnationem energumenos, adeoque temerarios, imò hæreticos eos esse, qui hanc veri-

tatem

tatem in Scripturis ſacris manifeſtè expreſſam, in dubium & diſputationem revocare præſumunt. Et ut incredulos per diſcurſum philoſophicum convincere valeamus: quæro ab illis, ut nobis morbos illos ſpecificent, ex quibus fieri poſſit, ut quis linguis peregrinis utatur, quas nunquam didicit nec audivit, futura prædicat, procul remota, tanquam præſentia referat, peccata occultiſſima prodat, Catholicos ab Hæreticis diſcernat, Sacerdotes Religoſos à converſis, cœlibes à coniugatis & viduis, ſeniores profeſſione in aliquo Cœnobio ab aliis, aquā luſtralē à non benedicta, veras reliquias à falſis; certè hæc omnia in energumenis noſtris in Eccleſia noſtra & alibi ſępè vidimus. Et ſi increduli mihi fidē non habent, legant celebrem illā Energumenā Laodunenſem, Nicolaā nomine; videbunt illā ad ſex pedes in aërem modò elevari, nec per 15 homines fortiſſimos retineri poſſe, modò ad terram dejici, & ita in omnibus corporis partibus rigidam, ut non plùs quàm validum ferrum, aut columna aliqua plicari poſſit. Ad hæc videbunt, quòd linguâ eductâ & prominente loquatur, hos, & illos nominibus compellet, aliaque plurima faciat, quæ ipſi Medici Laodunenſes, licet Hæretici, nonniſi à Dæmone fieri poſſe, liberè confitentur.

Legant pariter famosā illā obſeſſionē Magdalenæ & ſociarum, nec non Sororis Joannę Fery, de quibus inferiùs agam, & videbunt quòd illa omnia quę de illis referuntur, nullâ ratione à cauſis naturalibus procedere poſſint. adeòq; dictum Lemnium, eiuſque ſectatores graviter errare, dum ſcribunt omnes morbos, cruciatus, dolores, afflictiones à cauſis naturalibus provenire: ſed de hac prima petitione nimis. Quæro ſecundò ab illis, quomodo in ore eſt quod non fuit in mente, & in mente erit, quod non aliquando fuit in ſenſu? ſcien-

ſcientia igitur peregrinorum idiomatum, aliarumque rerum præmiſſarum cognitio, latentes quoſdam in hominibus ſpiritus convincunt, quod ſanè tribus ſuppoſitis evidens erit.

Primum eſt, naturaliter fieri non poſſe, ut idiomate quod quis ignorat, nec unquam audivit, perfectè utatur, & loquatur.

Secundum, nullum prorſus idioma eſſe, quod Dæmones ignorent, aut certè, quod mox abſque ulla difficultate ſcire non poſſint.

Tertium, omnem actionem, quæ in hominibus obſervatur, cauſam aliquam neceſſariò habere à qua fiat & procedat.

Primum, nemo ſanæ mentis inficiari poteſt: communis eſt enim de hoc omniũ ſenſus & conſenſus, quem ſatis confirmat ingens ille labor, quem omnes in addiſcendis linguis ignotis, quotidie experiuntur.

Secundum, pariter in dubium revocari non poteſt, niſi ab illis qui Dæmonum capacitatem, & ſubtilitatem & ſolertiam ignorant: cùm enim homines per converſationem eorum quibus cohabitant illa addiſcant, quidni Dæmones abſque comparatione nobis ſubtiliores & in omnibus naturæ dotibus, perfectiores, qui inter homines continuò verſantur, obſervant quæ loquuntur, & norunt quæ agunt? Si increduli nobis fidem non habent, credant Divo Hieronymo in vita S. Hilarionis, referenti Candidatum quendam Conſtantij Imperatoris obſeſſum, licet Gallicam & Latinam tantùm linguam calleret, tamen dicto Hilarioni, Syro idiomate, quo illum interrogabat, ita perfectè ad omnia reſpondiſſe, ut non ſtridor, non aſpiratio, aut idioma aliquod Palæſtini deeſſet eloquij: hæc ſunt verba Divi Hieronymi.

Pro hac quoque veritate legant vitam S. Bernardi lib.

2. cap. 4. Ibi videbunt mulierem quandam Mediolanensem obsessam, ad ipsum adductam, linguis peregrinis utentem. Legant ipsum Fernel, & alios passim, apud Mainolum, & audient ab illis, quod viderint plures energumenos, Græcé, Latinè, & Hebraicè loquentes; sed de hoc satis.

Ad tertium nostrum suppositum redeamus, scilicet omnem actionem, quæ in hominibus observatur, causam aliquam necessariò habere, à qua illa fiat & procedat: cum enim actio agentis opus sit & effectus, prout docent omnes Philosophi, agens autem in numero causarum constituatur, certè nullâ ratione fieri potest, ut aliqua detur actio, cuius nulla causa assignari possit. Necesse est igitur, ut ab aliquo sermo ille peregrinus procedat, quem proferri ab energumino audimus: Dicant igitur nobis increduli, à quo procedat? profecto non ab homine: non enim homo dici potest, qui illum profert, ut iam probatum est: necesse ergo est, ut ab aliquo spiritu bono, vel malo formetur; Certè non à bono, quandoquidem ille, qui idiomate illo peregrino loquitur, plerumqne horrendas contra Deum, B. Virginem & Sanctos blasphemias evomat, ipsosq; Exorcistas & assistentes iniuriis & convitijs afficiat, occulta peccata revelet, res sacras abhorreat, quæ in bonum spiritum cadere non possunt:

Hæ certè rationes quemlibet, vel minimo judicio vtentem convincunt esse spiritus malos, qui verissimè eos per quorũ organa, tam horrenda evomunt, obsident, & eiusmodi blasphemiarum atque actionum, propriæ & veræ causæ sunt: veniamus ad secundum caput.

CAP. II.

CAPUT II.

Quòd tempore Christi fuerint plurimi Energumeni, quos ipse varijs locis & modis, cum magna Iudæorum admiratione liberavit.

CLarissimè, ut arbitror, probavi ex Josephi, Justini, Eusebij, Leonis Africani, Gregorij, Hieronymi, Bernardi aliorumque suprà citatorum testimonijs, & rationibus solidissimis, ac convincentibus ex Philosophia petitis, fuisse ante Christi incarnationem plures Energumenos Hoc Capite probabo ipso, post incarnationem cum hominibus conversante, plures quoque exstitisse.

Pro hac igitur veritate, produco incredulis testimonia omni exceptione majora, Sacrorum inquam Evangelistarum qui verbis disertis asserunt,

Audiant primo Math. cap. 12. v. 22. *Tunc*, inquit, *oblatus est ei dæmonium habens cæcus, & mutus, & curauit eum ita ut loqueretur & videret, & stupebant omnes turbæ, & dicebant: nunquid hic est filius David.* Rursus cap. 9. v. 32. *Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum Dæmonium habentem, & ejecto Dæmonio locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ dicentes, nunquam apparuit sic in Israël.*

Quid ad hęc Pharisæi; hoc quidem agnoscunt, sed ex immenso in illum odio & invidia, utroque loco ejectionem illam magiæ adscribunt: audi blasphemiam: *Pharisæi autem audientes dixerunt: hic non ejicit Dæmonia nisi in Belzebub Principe Dæmoniorum.* cap. 12. sup. cit. Et iterum c. 9. *Pharisæi autem dicebant. In principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia*: nota hic, eiectionem illam turbæ mirantur, Christum adorant, illi autem quibus incumbebat turbas docere, & in fide Christi confirmare, in errorem inducere satagunt, hoc ipsum & hodie vi-

dere eſt, Exorciſtę enim in pellendis dęmonibus vix habent majores & infeſtiores inimicos ac obtrectatores, quàm eos qui ipſos tueri ac protegere deberent. Dicit autem Evangeliſta, miratas fuiſſe turbas, illam Dæmonum à Chriſto ejectionem & dixiſſe: *Nunquam apparuit ſic in Iſraël*, id ſanè meritò, quia nunquam viderant, nec audierant Dæmones ita facilè, unico ſcilicet verbo expelli.

Sed ad Math. revertamur: Rurſus cap. 15. v. 22. hæc habet. *Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamavit, dicens ei: miſerere mei Domine fili David: filia mea malè à Dæmonio vexatur*.

Cuius fidem & perſeverantiam commendans Chriſtus, ait illi: *ò mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis, & ſanata eſt filia eius ex illa hora*.

Ecce filiam energumenam, & liberatam, audiant increduli filium etiam energumenum miſerum pariter & filiâ miſeriorem; hęc ſunt verba Patris ad Chriſtum. Math. 17. v. 15. *Acceſſit ad eum homo genibus provolutus ante eum dicens Dñe miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & male patitur, nam ſæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam, & obtuli eum Diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum*: Ecce iſtius filij miſeriam, judicent an illa poſſit à cauſa naturali procedere? audiant curationē: Chriſtus pius & miſericors, ad hanc afflicti Patris humilem petitionem, ita reſpondit.

Afferte huc illum ad me, & increpavit illum Ieſus, & exijt ab eo Dæmonium, & curatus eſt puer ex illa hora. Et ne tres illi energumeni credantur ſolùm fuiſſe à Chriſto liberati, adjicit Math, cap 8. v. 16. *Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos Dæmonia habentes, & ejiciebat ſpiritus verbo, ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam dicentem: ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portavit*, eodem cap. v.

28. habes

28. habes alios duos energumenos: audi Math. *Et cum venisset Iesus trans fretum, in Regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes Dæmonia, de monumentis exeuntes sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam, & ecce clamaverunt dicentes, Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? venisti huc, ante tempus torquere nos* &c. Denique cap. 4. in fine *Obtulerunt ei omnes malè habentes, varijs languoribus, & tormentis comprehensos, & qui Dæmonia habebant & lunaticos & paralyticos & curavit eos.* Vides quàm multos energumenos sanaverit? hinc est, quòd verba illa perpendens S. Chrysostomus. hom. 28. in Matth. non longè à principio, Lectorem ita interpellet: Tu autem mihi perpendas, quantam multitudinem hominum curatam fuisse asserant Evangelistæ, non per singulos minutim errantes, sed unico verbo, miraculorum pelagus exponentes: Ecce igitur habes incredule ex Matthæo plures ex diversis locis & nationibus tempore Christi energumenos, quos ipse sibi restituit: audi quid Marcus pro eadem veritate testificetur.

Erat, inquit cap. 1. v. 23. *in Synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamavit dicens: Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos, scio quis sis, Sanctus Dei: & comminatus est ei Iesus, dicens obmutesce, & exi de homine, & discerpens eum spiritus, immundus & exclamans voce magnâ exijt ab eo*: Et eod. c. v. 32. ne putemus unum tantùm energumenum ab eo liberatum addit quòd suprà ex Matth. cum S. Chrysost. notavimus.

Vespere autem facto, cùm occidisset sol, adferebant ad eum omnes malè habentes & Dæmonia habentes, & erat omnis Civitas congregata ad januam, & curavit multos qui vexabantur varijs languoribus, & Dæmonia multa ejiciebat, & non sinebant ea loqui, quoniam sciebant eum. Item cap. 3. v. 11. *Et spiritus immundi cum illum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes, Tu es Filius Dei, &*

 vehe

vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum &c. Rursus cap. 5. v. 2. *Exeunti ei de navi, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis, & neque ca enis jam quisquam poterat eum ligare, quoniam sæpè compedibus & catenis vinctus dirupisset catenas & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare, & semper die ac nocte in monumentis & in montibus erat clamans & concidens se lapidibus: videns autem Iesum à longè, cucurrit & adoravit eum, & clamans voce magnâ dixit: quid mihi & tibi, Iesu fili Dei altissimi? adiuro te per Deum, ne me torqueas: dicebat enim illi: exi spiritus immunde ab homine isto: & interrogabat eum: quod tibi nomen est? & dicit ei, Legio mihi nomen est, quia multi sumus: & deprecabatur eum multùm ne se expelleret extra Regionem* &c.

Quæro iterùm ab incredulis? an hæc omnia per morbos naturales fieri possint? Et interim reitero quod suprà monui: Ecce in isto misero homine, legio Dæmonum, id est, 6666, ut discant & credant omnes increduli quod plura millia Dæmonum unam personam obsidere possint, & non mirentur neq; nos irrideant, quando idem asserimus. Quod autem Matth. suprà, nonnihil obscuriùs de Syrophenissa enarrat, clariùs Marcus exponit cap. 7. v. 26. his verbis: *Mulier statim ut audivit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, intravit & procidit ad pedes eius* &c. *& rogabat, eum, ut Dæmonium ejiceret de filia eius* &c. cui Christus: *Propter hunc sermonem, vade, exijt Dæmonium à filia tua: & cùm abijsset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, & Dæmonium exijsse* &c.

Denique cap. 9. v. 25. liberationem suprà à Matth. relatam, ita enarrat.

Comminatus est spiritui immundo dicens illi: surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eum & excla-

exclamans & multùm discerpens, exiit ab eo, & factus est velut mortuus, ita ut multi dicerent, quia mortuus est: Iesus autem tenens manum eius, elevavit eum, & surrexit &c.

Ex quibus verbis annoto duo documenta, quæ infra, & in Instructionibus meis, tanquam maximi momenti, sæpè repetam ab exorcistis benè observanda, si cum fructu, munus exorcizandi obire velint: primùm, ut in suis exorcismis, non suaviter & molliter Dæmones tractent, sed quàm possunt, durissimè & asperrimè eos verbis acribus & contemptibilibus arguendo atque increpando, & cum maxima fiducia eis imperando.

Sec...dum, ut cùm Dæmonē egressurū colligit, vel ex promissi ... ntiis meminerint verba illa a ... tia: I ... incr ... agen... de ...

Et in Synagoga erat ... mavit voce magna dicens: Sine, quid nobis & tibi Iesu ... venisti perdere nos? scio te quia sis Sanctus Dei: & increpavit illum Iesus, dicens: obmutesce, & exi ab eo. Et cùm proiecisset illū Dæmoniū in medium, exiit ab illo, nihilq; illum nocuit: Et factus est pavor in omnibus, & colloquebantur ad invicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute imperat Dæmonibus, & exeunt &c.

Vides iterum, quod supra dixi, maximam Iudæorum de hac Dæmonum expulsione admirationem, quę fiebat cum tanto imperio & virtute, ut ad unum Christi verbum Dæmones exire cogerentur, quod numquam fieri nec viderant, nec audierant.

Sed ad Evangelistam nostrum revertamur: is igitur rursus agens de energumenis à Christo expulsis, hæc addit, cap. 8. v. 29.

Et

vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum &c. Rursus cap. 5. v. 2. *Exeunti ei de navi, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis, & neque ca enis jam quisquam poterat eum ligare, quoniam sæpè compedibus & catenis vinctus dirupisset catenas & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare, & semper die ac nocte in monumentis & in montibus erat clamans & concidens se lapidibus: videns autem Iesum à longè, cucurrit & adoravit eum, & clamans voce magnâ dixit: quid mihi & tibi, Iesu fili Dei altissimi? adiuro te per Deum, ne me torqueas: dicebat enim illi: exi sp[illegible]us immunde ab homine isto: & interrogabat eum* [illegible] *en est? & dicit ei, Legio mihi nomen e*[illegible] *ecabatur eum multùm ne se*[illegible]

Ou[illegible] morbos
[illegible] uod suprà mo-
[illegible] Dæmonum, id est,
[illegible] nes increduli quod plura
[illegible] personam obsidere possint, & non
[illegible] q; nos irrideant, quando idem asserimus. Quod
[illegible] em Matth. suprà, nonnihil obscuriùs de Syrophenissa enarrat, clariùs Marcus exponit cap. 7. v. 26. his verbis: *Mulier statim ut audivit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, intravit & procidit ad pedes eius* &c. *& rogabat, eum, ut Dæmonium ejiceret de filia eius* &c. cui Christus: *Propter hunc sermonem, vade, exijt Dæmonium à filia tua: & cùm abijsset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, & Dæmonium exijsse* &c.

Denique cap. 9. v. 25. liberationem suprà à Matth. relatam, ita enarrat.

Comminatus est spiritui immundo dicens illi: surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eum & excla-

exclamans & multùm discerpens, exiit ab eo, & factus est velut mortuus, ita ut multi dicerent, quia mortuus est: Iesus autem tenens manum eius, elevavit eum, & surrexit &c.

Ex quibus verbis annoto duo documenta, quæ infra, & in Instructionibus meis, tanquam maximi momenti, sæpè repetam ab exorcistis benè observanda, si cum fructu, munus exorcizandi obire velint: primùm, ut in suis exorcismis, non suaviter & molliter Dæmones tractent, sed quàm possunt, durissimè & asperrimè eos verbis acribus & contemptibilibus arguendo atque increpando, & cum maxima fiducia eis imperando.

Secundum, ut cùm Dæmonē egressurū colligit, vel ex promissione ipsius, vel ex alijs circumstantijs meminerint verba illa adjungere: *Ampliùs ne introeas in eum*, vel alia æquivalentia: His duobus documentis ex occasione annotatis, audiant increduli, tertium pro asserta veritate testem S. Luc. Is igitur agens de energumenis à Christo liberatis, sic scribit c. 4. v. 33 *Et in Synagoga erat homo habens Dæmonium immundum, & exclamavit voce magna dicens: Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quia sis Sanctus Dei: & increpavit illum Iesus, dicens: obmutesce, & exi ab eo. Et cùm proiecisset illū Dæmoniū in medium, exiit ab illo, nihilq; illum nocuit: Et factus est pavor in omnibus, & colloquebantur ad invicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute imperat Dæmonibus, & exeunt* &c.

Vides iterum, quod supra dixi, maximam Iudæorum de hac Dæmonum expulsione admirationem, quę fiebat cum tanto imperio & virtute, ut ad unum Christi verbum Dæmones exire cogerentur, quod numquam fieri nec viderant, nec audierant.

Sed ad Evangelistam nostrum revertamur: is igitur rursus agens de energumenis à Christo expulsis, hæc addit, cap. 8. v. 29.

Et

Et cùm de navi egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium, iam temporibus multis & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis: is ut vidit Iesum, procidit ante illum, & exclamans voce magnâ dixit: quid mihi & tibi est, Iesu fili Dei altissimi? obsecro ne me torqueas: præcipiebat enim Spiritui immundo, ut exiret ab homine: multis enim temporibus arripiebat illum & vinciebatur catenis, & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur à Dæmonio in deserta, interrogavit autem illum Iesus dicens: Quod tibi nomen est? at ille dixit, Legio, quia intraverant Dæmonia multa in eum & rogaverunt illum ne imperaret illis ut in abyssum irent: Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte, & rogabant eum ut permitteret eis in illos ingredi: Et permisit illis. Exierunt ergo Dæmonia ab homine et intraverunt in porcos & impetu abiit grex per præceps in stagnum, & suffocatus est. Vide primò, quàm inviti & difficulter Dæmones sedes quas semel occuparunt relinquant: secundò, quantum remitti timeant ad carcerem Inferni, non quòd extra illum non crucientur, sed quia ibi reclusi, hominibus pro votis suis non ita nocere possunt, nec per orbem vagari, ad illos tentandos, licet & aliæ rationes quas brevitatis causâ prætereo, assignari possint.

Tertiò, quòd nullam Dei creaturam, nequidem ipsos porcos absque illius permissu ingredi possint, ex quo patet quàm parva & exigua sit Dæmonum potestas, quantaque Dei providentia, qui ita omnia regit & gubernat, ut nequidem passer unus in terram cadat absque illius voluntate.

Sed sat de istis documentis, revertamur ad Lucam, & illum iterum audiamus cap. 9. v. 38. *Factum est*, inquit, *in sequenti die descendentibus illis de monte, occurrit turba multa: & ecce vir de turba exclamavit dicens: Magister obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi, & ecce spiritus apprehendit eum,*

& subitò clamat, & elidit & dißipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum, & rogavi Discipulos tuos ut ejicerent illud, & non potuerunt: respondens autem Iesus dixit: ô generatio infidelis & perversa, usquequo ero apud vos & patior vos? adduc filium tuum, & cùm accederet, elisit illum Dæmonium & dißipavit: & increpavit Iesus spiritum immundum, & sanavit puerum, & reddidit illum Patri eius.

Vides iterum quod suprà monui, quàm inviti & difficilè Dæmones eos quos obsident, deserant? Rursus quòd inter eos sint aliqui magis rebelles, quos nequidem ipsi Apostoli & viri Sancti remediis ordinariis expellere potuerant, ut nunquam abjicias animum, nec exorcismũ deseras, si interdum exorcismis ordinariis nihil efficere possis, de quibus latiùs infrà in meis documentis tertiâ parte huius Apologiæ, quæ ab omnibus Exorcistis attentè legi & memoriæ mandari velim.

Ad hæc notent nostri obtrectatores & alij in hac materia minùs versati, prout & infrà moneo, quod vitio & defectui Exorcistarum malè vertant, quando vident aliquando eos post multos exorcismos Dæmones expellere non posse: hoc enim plerumque provenit ex occulto Dei iudicio, sicut infra ex Augustino, prolixè demonstro: quem attentè ab omnibus legi, & perpendi postulo: ex ipso alijsq; pluribus à me relatis agnoscent, quòd licet Exorcista habeat omnes virtutes, & dotes requisitas, omniaq; à Doctoribus & Ritualibus præscripta exactissimè observet, & ex parte energumeni, nullus obex ponatur, agnoscet inquam, quòd omnibus observandis observatis, Dæmon exire jussus, non exeat, imò nec exire possit, quantumvis summè illud cupiat & petat, quia in corpore quod possidet, ligatur, & tanquam captiuus retinetur, vel ad maiorem Dei gloriam, Hæreticorum confu-

fusionem, malorum terrorem, Exorcistæ & obsessi meritum, vel alias ob causas soli Deo notas, ut suo loco dicemus. His igitur omissis adjiciam pro conclusione huius capitis, aliud Lucæ testimonium, quod videbis cap. 11. v. 14. his verbis *Et erat ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum: & cum ejecisset Dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ: quidam autem ex eis dixerunt, in Belzebub Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia.*

Habent igitur omnes increduli tres testes omni exceptione maiores, contra quos nulla exceptio nisi ab Atheo dari potest, qui tam manifestè deponunt pro asserta veritate, ut plura testimonia nemo desiderare possit: Et certè illorum testimonia superflua & tœdiosa in re præsertim tam certa & manifesta videri possent, nisi quibusdam incredulis & aliis ignaris consulere voluissem, qui nihil viderunt nec legerunt, & interim omnia quæ ignorant, carpunt & vituperant: quo hominum genere nihil inter vivos, petulantius, audacius, insolentius, nihilque stupidius & ineptius existit: verùm, ipsis omissis veniamus ad 3. Caput, & assertionem nostram magis magisque probemus & demonstremus.

CAPVT III.

Quòd Apostoli & Discipuli Christi tam ante ipsius ad cœlos ascensionem quàm post, plures quoque Energumenos à Dæmonum tyrannide liberaverint.

PRobavi manifestissimè cap. præcedenti quòd tempore Christi plurimi fuerint vbique energumeni quos ipse mirabiliter liberavit & pristinæ sanitati cum stupore Judæorum

dęorum restituit: hoc cap. idem de Apostolis probabo, idq; ita clarè & apertè, ut nullus id inficiari possit, nisi scripturæ sacræ authoritatem in dubium revocare velit.

Primò igitur pro assertæ veritatis confirmatione profero ipsorum Apostolorum testimonium, suam in Dæmones potestatem magno cum gaudio his verbis prędicantium: *Domine etiam Dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo.* Luc. 10. v. 17. Et paulò post: *Ecce dedi vobis potestatem super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici* &c. Qui sunt autem illi serpentes, & scorpiones, nisi Dæmones prout communiter Interpretes exponunt. Vide si habes S. Athanasium in illud psalmi: *Super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & draconem.* Item inter Neotericos Jansenium Iprensem in dictum locum, qui per illa verba (*virtutem inimici*) exponit universum exercitum Diaboli: Eadem veritas probatur ex cap. 5. Actorum v. 16. *Concurrebat autem*, inquit Lucas, *& multitudo vicinarum Civitatum Ierusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes.* Vides non unum sed plures Energumenos à Petro liberatos: & quod de Petro pro hac veritate enarrat Lucas, idem de Paulo asserit Actor. 19. v. 11. his verbis:

Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos, deferrentur à corpore eius sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. Cernis iterùm, non unum sed plura Dæmonia à Paulo expulsa? quid quòd & ipsi Judæorum Exorcistæ idem attentare voluerint, prout ex verbis sequentibus declaratur: *Tentaverunt autem quidam & de circumeuntibus Iudæis Exorcistis invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu, dicentes: adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat* &c. Lege quę sequuntur, & videbis Dæmones hominem de quo

fit ibi mentio obsidentes, in istos Exorcistas furibundè insurgentes, eosque pessimè excipientes: quod ab Exorcistis notatum velim, ut hoc munus sanctè & religiosè obeant, si sibi consultum velint, Denique ne in re manifesta, sim prolixior, legant increduli cap. 16. eiusdem lib. v. 16. & agnoscent iterùm hanc veritatem in liberatione filiæ Dæmoniacæ, *quæ habebat*, inquit Lucas, *spiritum pythonem clamantem: isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis.* Vides, quòd licet Dæmones sint Patres mendacij, & quando ex se loquuntur, mendacia ordinariè proferant; quando tamen veritatem dicere, & ad interrogata à Christo & ab Ecclesia præscripta, respondere jubentur, pareant & obediant quantumvis inviti: Hoc quoque ab illis notari velim, qui non credunt Dæmones cogi posse vi exorcismorum, ad dicendum veritatem: quid autem de filia illa obsessa factum fuerit, habes verbis sequentibus: *Dolens autem Paulus* (inquit Lucas) *& conversus spiritui dixit: præcipio tibi, in nomine Iesu Christi, exire ab ea, & exiit eâdem hora:* Qui plura pro hac veritate testimonia desiderat, legat Abdiam Babilonium in historia certaminis Apostolici: item Joachimum Perionium lib. de gestis & vitis Apostolorum: nos interim Caput quartum aggrediemur, quod ab incredulis attentè legi & ponderari rogo & postulo.

CAPVT IV.

Quòd à tempore Apostolorum fuerint ubique & semper plurimi utriusque sexus Energumeni.

HÆc veritas non solùm Patrum & Historicorum testimonijs, sed & ipsius Christi demonstrari potest: Primò

mò igitur ipſum, & poſtea alios audiemus: certè promiſſio ipſius, Marci 16.v.17. *Signa eos qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis*, aſſertionem noſtram evidenter probat: probat, inquam, ſemper futuros Energumenos, qui in vim illius promiſſionis, à Miniſtris Eccleſiæ Catholicæ ad hoc deputatis, & non alijs, omni tempore, ut hoc capite & ſequentibus videbis, expulſi fuêre, & ad finem uſq; mundi expellentur: nullus enim extra Eccleſiam Catholicam, Dæmonem in fidem ſuæ Religionis hactenus ejicere valuit: hoc enim privilegium ſoli Eccleſiæ Catholicæ conceſſum eſt, ut ex verbis Marci ſuprà citatis videre eſt: quid impuro improboque illi Apoſtatæ & Hæreſiarchæ Martino Luthero, qui hanc expellendi à quadam filia dæmonem poteſtatem uſurpare præſumpſit, contigerit: uſqueadeò miniſtris omnibus notum & compertum eſt, ut eos ad hanc functionem induci nullatenus poſſint. Sed hæc prætereamus, & ſecundum pro hac veritate Chriſti teſtimonium audiamus: *Multi*, inquit, *dicent in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos*: hoc certè cùm Apoſtolis non quadret, de aliis intelligendum venit, qui fidem quidem habuêre, ſed, quia vel laudem & gloriam, vel turpe lucrum per ſuos exorciſmos venati ſunt, & oleum ſeu charitatem & intentionem puram habere neglexerunt, nullum meritum per iſtud opus, licet arduum referent. Sed de Chriſti teſtimonio ſatis: audiamus Patres, qui poſt Apoſtolos immediatè floruerunt, & poſteà ad alios veniemus: Prodeat primus pro hoc teſtimonio S. Ignatius Apoſtolorum Diſcipulus: is certè Energumenos ſuo ævo exſtitiſſe, eo ipſo teſtatur, quo inter Eccleſiaſticos Ordines recenſet Exorciſtas in Epiſtola ad Antiochenſes his verbis.

Saluto ſanctum Presbyterum veſtrum ſaluto Diaconos, ſaluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios, Laborantes, Exorciſtas &c.

Quid ad hæc Hæretice? vides iſto ævo fuiſſe Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos,& alios relatos? dic mihi cur illos difformata tua Religio repudiavit? agnoſce ex hoc ſolo cap. quod nullum antiquæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ veſtigium habeat; ſed mittamus Hæreticos, & ſecundū proaſſerta veritate teſtem Clementem, inquam, Petri Diſcipulum audiamus lib.8. Conſtit. Apoſtol. cap.7.& 8., his verbis teſtimonium ſuum ferentem.

Poſt hæc Diaconus dicat: ite Cathecumeni in pace, qui poſtquam ij exiverint, dicat orate Energumeni, hoc eſt vexati ab immundis ſpiritibus, & admonens fideles, ut illorum miſereantur, ita ad illos: intentè pro illis orate, ut benedictus Deus per Chriſtum increpet immundos & nequam ſpiritus, & eripiat ſervos ſuos ab imperio inimici, qui increpavit legionem Dæmonum, & Principem malorum Diabolum, ipſe nunc increpet pietatis rebelles,& liberet figmenta ſua à vexatione ipſius, & purget ea quæ ingenti ſapientiâ condidit, etiam intentè oremus.

Salva & excita illos Deus in virtute tua, inclinate vos Energumeni ut benedictionem accipiatis, & Epiſcopus oret dicens.

Oratio S. Clementis, Lib. 8.
Pro Energumenis.

QUi fortem armatum ligaſti,& omnia vaſa eius diripuiſti qui dediſti nobis poteſtatem ambulandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper virtutem inimici, qui homicidam

micidam ſerpentem ligatum tradidiſti nobis tamquam paſ-ſerem puerulis, quem cuncta pavent, & horrent à facie virtu-tis tuæ, qui eum dejeciſti, ſicut fulgur à cœlo in terram, non lapſu locali, ſed ab honore in ignominiam, ob voluntariam nequitiam, cuius aſpectus ſiccat abyſſos. & minę liquefa-ciunt montes, & veritas Domini manet in æternùm, quem laudant infantes, & lactantes benedicunt, quem celebrant & adorant Angeli, qui aſpicit ſuper terram, & facit eam tre-mere, qui tangit montes, & fumigant, qui minatur mari, & ſiccat illud, & omnia flumina deſerta facit, cuius nubes pul-vis pedum eius, qui ambulat ſuper mare, ſicut ſuper pavi-mentum, unigenite Deus, magni Patris Fili, increpa ſpiri-tus nequam, & libera opera manuum tuarum ab alieni ſpi-ritus vexatione, quoniam tibi gloria, honor, & adoratio, & per te, tuo Patri, in Sancto Spiritu, in Sæcula, Amen

Quid ad hæc incredule, qui non credis eſſe Energume-nos? ecce habes plures in primo ſæculo Energumenos; ve-niamus ad ſecundum, & videamus an iſto fuerint Ener-gumeni? Quandoquidem Juſtinus Martyr primus poſt Apoſtolica tempora videatur eſſe, quorum ſcripta ad nos pervenerunt, illa perluſtremus, & ubique reperiemus Ener-gumenos. Audi quid ſcribat pro Chriſtianis in ſua prima Apologia ad Senatum Romanum: Multos qui à Dæmoni-bus occupabantur, & in univerſo orbe, & in veſtra Urbe multi noſtrorum hominum, qui Chriſtiani dicuntur, adju-rantes Jeſu Chriſti, qui Pontio Pilato Prætore, Cruci affixus eſt nomine, cum ab alijs omnibus, ut ita dicā Exorciſtis, Ma-giſque curati non eſſent, curarunt, atque etiam hoc tempore curant, eiectis expulſiſque ex corporibus hominum Dæmo-nibus: Audis in toto orbe fuiſſe Energumenos & Exorci-ſtas? audi quid dicat in inſigni illo Dialogo cum Triphone

 pag.

pag. 22. Adiutorem eum vocamus & Redemptorem, cuius etiam vim nominis Dæmonia quoque exhorrescunt, eademque hodie cum Jesu Christi, qui in Crucem, Pontio Pilato Judeæ Præfecto, actus est, nomine adiuramus, subjiciuntur & obediunt, ut ex hoc etiam perspicuum sit omnibus, Patrem tantam illi dedisse vim & potestatem, ut etiam Dæmonia eius nomini obediant &c.

Rursus in resp. ad q. 41. Dæmon non corpori vim tribuit, quâ possit vincula & catenas rumpere, sed eas Dæmon ipse comminuit atque dirupit, etiamsi Divina scriptura, ei, quem Dæmon vexat & exagitat, Dæmonis operâ attribuat. Ecce habes pro assertionis nostræ veritate magnum illum Martyrem natum sub annum Christi 118: Neapoli Urbe Samariæ, quæ Syris primitus Sichem dicta fuit, postremò Latinis Flavia Cæsarea; audi post hunc inter alios Tertulianum, qui floruit anno 203. Is igitur Scapulam Chartaginis Præfectum Christianis extrema minantem, de veritate & virtute fidei Christianæ instruere volens, hæc ad illum verba habet: Dæmones autem non tantùm respuimus, verùm & revincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, sicut plurimis notum est.

Et specificans dicto Prefecto personas à Dæmonibus liberatas, addit sequentia, Hæc omnia tibi, & de officio suggeri possunt, & ab eisdem Advocatis, qui & ipsi beneficia habent Christianorum: nam & cuiusdam notarius cùm à Dæmone præcipitaretur, liberatus est, & quorundam propinquus & puerulus: & quanti honesti viri (de vulgaribus enim non dicimus) aut à Dæmoniis, aut valetudinibus remediati sunt &c.

Vides quot Energumeni isto tempore in Africa fuerint? audi quid & ipse scribat, in suo Apologetico adversùs Gentes

tes cap. 32. Dæmones adjurare consuevimus, ut illos de hominibus exigamus, non dejerare ut illi honorem divinitatis conferamus.

Eadem invenies in Minutio Felice, Causidico Romano insigni, anno 206.

Veniamus ad S. Gregorium Episcopum Neocæsariensem anno 233. à magnitudine miraculorum patratorum Thaumaturgum appellatum: is quoque teste S. Gregorio Nyssęno, inter mirabilia quæ in vita ipsius refert, plures Dæmones ex corporibus hominum, in sua Diœcesi expulit: accipe ex pemultis, duo vel tria exempla: mulier quædam meretrix pecuniam à Gregorio adhuc adolescente, tanquam sibi pro usu sui corporis promissam, impudentissimè & importunè petebat: sanctus & castus adolescens, ab illa labe prorsus immunis, ut ab istius meretricis clamoribus liberaretur, pecuniam petitam ei dari jussit: audi justam Dei in illam vindictam.

Simul atq; manu pecuniam accepit (inquit Gregorius Nyssænus spiritu infœlici atque maligno correpta, fremituque immani atque ferali, diverso à voce humana sono, ingemiscens, collabitur prona in medio cœtu congregatorum; spectaculum horrendum atque terribile, præsentibus repente facta, quum & capillus, quem suis manibus vellebat, dilaceratus atque disiectus, & oculi inversi essent, & os spumam emitteret, ac non priùs à Dæmonio suffocari desiit, quàm ille Deum pro illa invocasset atque placasset &c. Hæc notent atque timeant omnes detractores, & illi potissimùm qui nostras miseras filias energumenas, fictionis & insimulationis insimulant, ne illis idem eveniat, quod mulierculæ illi, quæ crimen fornicationis Sancto adolescenti impudenter imponebat: sed videamus alia. apud eundem Nyssęnū. Exponens ipse admirandam per dictum Thaumaturgum, adolescen-

adoleſcentis liberationem, cùi linteolum quod habebat ipſi admovens, hæc notat.

Quo facto (linteo admoto) turbari cœpit, & exclamare adoleſcentulus & humi proſterni & huc illuc jactari, & omnibus affici incommodis, quę à Dæmonibus provenire ſolent, deinde cum Sanctus ille manum injeciſſet & turbationem ſedaſſet, Dęmonium quidem ab eo avolaſſe, ipſe veró rurſus ad priorem ſtatum atque tranquillitatem redactus non ampliús dixiſſe fertur quod videret, Sancto aſſiſtente, qui unà loqueretur.

Et pauló poſt, in laudem illius Sancti addit. Quod ad Dæmones fugandos & ad corporis morbos profligandos, ſufficeret oris eius anhelitus, qui per linteum laboranti cuiq; admovebatur. Quid ad hæc incredule? quid ád hæc hæretice? vides quantæ ſint virtutis filij Eccleſiæ Romanæ? dic ut tui Miniſtri idem faciant: ſed audiamus alios.

Sanctus Cyprianus, anno 250. ſcribens adverſus Demetrianum fidei Chriſtianæ hoſtem acerrimum, hæc ipſi objicit & proponit; o ſi audire velles & videre, quomodo à nobis adiurantur & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis, de obſeſſis corporibus ejiciuntur, quando ejulantes & gementes voce humanâ & poteſtate Divinâ flagella & verbera ſentientes, venturum judicium confitentur veni & cognoſce vera eſſe, quæ dicimns: & paulo poſt. Videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas, timeri ab eis, quos tu times, quos tu adoras: videbis ſub manu noſtra ſtare vinctos, & tremere captivos, quos tu ſuſpicis & veneraris ut dominos Certè vel ſic confundi in tuis erroribus poteris, cum conſpexeris & audieris Deos tuos, quid ſint, ad interrogationes noſtras ſtatim prodere, & præſentibus licet vobis, præſtigias illas & fallacias ſuas non poſſe celare.

Item

Item tract. 4. de Idolorum vanitate circa medium, nequitiam & sævitiam dæmonum, & eorum expulsionem exprimens, hæc monet. Falluntur, & fallunt, vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam spiritus corporibus, occulta mentis terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt, ut ad cultum sui cogant &c. Et paulò pòst:

Nec aliud his studium est, quàm à Deo homines avocare, & cùm sint ipsi pœnales quærere sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerunt errore participes: Hi tamen adjurati per Deum verum, nobis statim cedunt & fatentur, & de obsessis corporibus exire coguntur, videas illos nostrâ voce & oratione occultè cædi, igni torqueri, incremento pœnæ propagantis extendi, ejulare, gemere, deprecari, unde veniant, & quo discedant, ipsis etiam, qui se colunt, audientibus, confiteri; & vel exiliunt statim vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat aut gratia curantis aspirat: hinc vulgus in odium nostri nominis cogunt, ut nos odisse incipiant homines, antequàm nosse, ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint.

Item lib. 4. cap. 7. Quod hodie etiam geritur, ut per Exorcistas, voce humanâ & potestate divinâ flagelletur, & uratur, ut torqueatur Diabolus: & cùm exire se, & homines Dei dimittere sæpè dicat, & in eo tamen, quod dixerit fallat, & id quod per Pharaonem priùs gestum est, eodem mendacio obstinationis & fraudis exerceat, cùm tamen ad aquam salutarem, atque ad baptismi sanctificationem venitur, scire debemus, & fidere, quia illic Diabolus opprimitur, & homo dicatus divinâ indulgentiâ liberatur.

Et paulò pòst: Sępè nonnulli de illis qui sani baptizantur, si postmodùm peccare cœperint, spiritu immundo re-

deunte quatiuntur, ut manifestum sit Diabolum, in baptismo, fide credentis excludi, si fides postmodùm defecerit regredi.

Ecce vides incredule, quot Energumenos tempore Cypriani, & Tertull. de quo suprà, Africa habuerit: Et tu Hæretice, cernis quàm antiquus sit ritus exorcisandi, & quanta sit Ecclesiæ Catholicæ in dæmones potestas: transeamus ab Africa in Italiam, & videamus, an eodem sæculo in illa Energumeni reperiantur: Certè Sanctus Cornelius Papa, qui Sedem Romanam tenuit eodem sæculo & tempore, quo S. Cyprian. Carthaginensem, anno utpotè 254, pro hac veritate disertè deponit in Epist. ad Fabianum Antiochenum, in qua asserit in Romana Ecclesia esse institutos Exorcistas & Lectores unà cum Ostiariis quinquaginta: hæc sunt verba ipsius scribens de Novato: Is ergo qui Evangelium vendicabat, *nesciebat in* Ecclesia Catholica unum Episcopum esse debere, ubi videbat esse Presbyteros quadraginta & sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, *Acolythos* quadraginta, & duos Exorcistas, & Lectores cum Ostiariis quinquaginta & duos: Et ibidem additur; Quòd ipse Novatus spiritu immundo in juventute vexatus sit, & cùm tempus aliquantulum consumpsisset apud Exorcistas, ægritudinem incurrerit gravem, ita ut desperaretur. Quid ad hæc Hæretice? Vides quàm diversa sit Ecclesiæ antiquæ facies à tua inepta & difformata? Ubi sunt tui Episcopi, ubi Presbyteri, ubi Diaconi, Subdiaconi, & alij Ordines? omnia sunt prophanata, immutata, & ut dixi, difformata: aperi igitur oculos, vide errorem tuum considera ministrorum tuorum fallaciam & deceptionem, & redi ad gremium Ecclesiæ Catholicæ? Et nos materiam nostram prosequemur: Audiamus Lactant. Firmianum Arnobij auditorem, qui floruit

ruit ſub Diocletiano, anno 290. & ad Principatum Conſtantini Magni, in ſenectute pervenit, teſte S. Hieronymo, in *lib.* de Script, Eccl.

Is igitur lib. 2. cap. 16. de origine erroris, agens de Dæmonibus, ita ſcribit: Nocent illi quidem, ſed his à quibus timentur, quos manus Dei potens & excelſa non protegit, qui prophani ſunt à Sacramento veritatis; juſtos autem, id eſt cultores Dei metuunt, cuius nomine adiurati, de corporibus excedunt, quorum verbis, tanquam flagris verberati, non modò dæmones ſe eſſe confitentur, ſed etiam nomina ſua edunt, quia nec Deo, per quem adiurantur, nec juſtis, quorum voce torquentur, mentiri poſſunt.

Vides iterum quòd dæmones quantumvis mendaces, poſſint cogi ad dicendam veritatem? ſed audi reliqua.

Itaque maximis, inquit, ſæpè ululatibus editis, verberari ſe, ardere, & jam jamque exire proclamant.

Item lib. 4. de vera ſapientia, cap. 27. agens de ſigno Crucis, ſcribit in hunc modum: Quanto terrori ſit dæmonibus hoc ſignum, ſciet qui viderit, quatenus adiurati per Chriſtum, de corporibus quæ obſederint fugiant: nam ſicut ipſe, cùm inter homines ageret, univerſos dæmones verbo fugabat, hominumq; mentes emotas, & malis incurſibus furiatas, in ſenſus priſtinos reponebat, ita nunc ſectatores eius, eoſdem ſpiritus inquinatos, de hominibus, & nomine magiſtri ſui, & ſigno Crucis, excludunt. Et infrà: Ecce aliquis inſtinctu dæmonis percitus, dementiâ effertur, inſanit, ducamus iſtum in Jovis Opt. Max. templum, vel (quia ſanare homines Juppiter neſcit) in Eſculapy vel Apollinis Fanum, jubeat utriuſlibet Sacerdos Dei ſui nomine, ut nocens ille ſpiritus recedat ex homine, nullo id pacto fieri poteſt. Quæ igitur Deorum vis eſt, ſi ſubiectos ſibi dæmones non habeat?

beat? at verò ijdem dæmones adiurati per nomen veri Dei protinùs fugiunt: quæ ratio est, ut Christum timeant, Jovem autem non timeant, nisi, quia ijdem sunt dæmones, quos vulgus Deos esse opinatur? Et infrà: Illi nequissimi spiritus, ubi adiurantur, ibi se dæmones confitentur, ubi coluntur, ibi se Deos mentiuntur, ut errores hominibus immittant, & avocent à veri Dei notione.

Vides iterùm, miser reformate, vim & potestatem Ecclesiæ Catholicæ? sed audi alia, quæ idem demonstrant. Idem lib. 5. de justitia cap. 22.

Cum corpora hominum occupant, animasq; diù vexant, adiurantur, & nomine veri Dei fugantur, quo audito, & tremunt & exclamant, & uri verberarique se testantur, & interrogati qui sint, quando venerint, quomodo in hominem irrepserint? confitentur: sic extorti & excruciati virtute Divini nominis exulant.

Vides iterum Ecclesiæ Catholicæ in dæmones potestatem? roga tuos Ministros, ut suam demonstrent? Et tu incredule, cernis quòd isto tempore fuerint Energumeni, quòdque tales interrogationes tunc fierent, quales nunc fiunt? sed quanto odio dæmones Exorcistas semper fuerint prosecuti, audi ex sequentibus eiusdem authoris verbis:

Propter hæc verbera & minas, Sanctos & justos viros semper oderunt, & quia per se nocere his nihil possunt, publicis odijs eos persequuntur, quos sibi graves sentiunt, exercentque sævitiam, quam violentissimè possunt, ut aut eorum fidem minuant per dolorem, aut si id efficere nequiverint, auferant omninò de terra, ne sint qui possint eorum nequitiam coërcere: Hæc notent Exorcistæ pro sua consolatione, & non mirentur, si pro arduo & charitativo suo officio persecutiones patiantur, quandoquidem ipsemet Christus

stus, propter id ipsum particulariter gravissimas à Judæis perpessus fuerit. Interim notent omnes qui Exorcistis se infestos reddunt, quòd se dæmonum patronos & advocatos exhibeant, qui, ut notat idem Lactant. omnes Exorcistas à quibus torquentur & expelluntur, de terra sublatos peroptarent: nos interim materiam nostram prosequemur.

CAPVT V.

Quòd quatuor Ecclesiæ Latinæ Doctores suo ævo Energumenos habuerint, & agnoverint.

HActenus monstravi in toto orbe, ut ex testimoniis suprà relatis vidisti, Energumenos tribus primis sæculis, idem faciam hoc cap. & sequentibus, de 4. & posterioribus: & quia tres primi Doctores floruerunt dicto 4. sæculo, quid quisque senserit producam: certè D. Ambrosius variis locis hanc veritatem ita agnoscit, ut nihil clarius allegari possit: audi ipsum serm. 91. differentem de inventione corporum Gervasy & Prothasy contra incredulos & Arianos anno 374. Nunc audistis clamantes dæmones & consitentes Martyribus, quòd pœnas ferre non possint, & dicentes: Quid venistis, ut ante tempus nos tam graviter torqueatis? Et, quòd dæmones interdum veritatem fidei contra se, & veritatem prout sępè monui, consiteri cogantur; audi quid subjungat S. Ambrosius: Audivimus hodie dicentes eos (dęmones) quibus manus imponebatur, neminem posse esse salvum, qui Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum negaret, qui veritatis Omnipotentem virtutem non crederet: consitetur hoc Diabolus, sed Ariani nolunt fateri: dicit

 diabolus

diabolus: ſic torqueatur, quemadmodum ipſe à Martyribus torquebatur, qui Spiritus Sancti Deitatem negant &c. invitus dixit diabolus, ſed exactus & tortus, quod nequitia ſupprimit, extorquet iniuria, cedit diabolus plagis, & adhuc cedere nolunt Ariani, quanta perpeſſi ſunt, & queadmodum Pharao malis ſuis indurantur &c. Et paulò pòſt: Dicebant hodie, & ſuperiore die, vel nocte, dæmones: ſcimus quia Martyres eſtis, & Ariani dicunt, neſcimus, nolumus intelligere: dicunt dæmones Martyribus, veniſtis perdere nos, Ariani dicunt; non ſunt dæmonum vera tormenta, ſed ficta & compoſita ludibria. Quid ad hæc miſer Hæretice? audis in ore Arianorum, tuorum miniſtrorum veſaniam & impudentiam, qui idem prorſus quotidie in ore habent? Sed & tu incredule, ac temerarie cenſor, qui opinaris, imò, cum ſecuritate aſſerere non vereris eiuſmodi poſſeſſiones à noſtris Energumenis fingi & ſimulari: audi qualiter magnus ille Doctor tuam temeritatem arguat & confutet: Audivi, inquit, multa componi, hoc nemo unquam fingere potuit, ut dęmoniacum ſe eſſe ſimularet: quid illud eſt, quòd ita exagitari eos videmus, quibus manus imponitur? ubi hic locus fraudi eſt, ubi ſuſpicio ſimulandi?

Ecce Mediolani plures Energumeni. Audiamus ſecundum Doctorem, Hieronymum, & inquiramus, an in Syria & Palęſtina Energumeni ævo ipſius reperiantur? Is in epiſt. ad Euſtochium, agens de vita & morte Paulæ, pro hac veritate ita deponit.

Paula inde divertens vidit 12. Patriarcharum ſepulchra, & Sebaſten, id eſt Samariam, quæ in honorem Auguſti, ab Hærode, Græco ſermone, Auguſta eſt nominata, ibi ſiti ſunt Hæliſæus. & Abdias Prophetæ, &, quo maior inter natos non fuit, Ioannes Baptiſta, vbi multis intremuit conſternata

nata mirabilibus, namque cernebat varijs Dæmones rugire cruciatibus, & ante ſepulchra ſanctorum, vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum, alios rotare caput, & poſt tergum terram vertice tangere, ſuſpenſiſque pede fæminis veſtes diffluere in faciem; miſerebatur omnium, & per ſingulos, effuſis lachrimis Chriſti clementiam deprecabatur: hæc quicumque leges imitare Paulam, & pro Energumenis, Chriſtum ac Beatam Virginem deprecare & cave ne de illis unquam temerariè judices: ſed audi eum iterum contra Vigilant. Ergò ſacrilegi ſumus, quando APoſtolorum baſilicas ingredimur ſacrilegus fuit Conſtantinus Jmperator, qui ſanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothæi transſtulit Conſtantinopolim, apud quas Dæmones rugiunt & inhabitatores Vigilantij, illorum ſe ſentire præſentiam ſentiunt. Et infernus Spiritus iſte immundus, qui hæc te cogit ſcribere, ſæpè hoc tortus eſt pulvere, imò hodieque torquetur, Et præveniens Hæreticorum noſtrorum, Vigilantij ſectatorum, veſaniam & blaſphemiam, ſequentia addit bene notanda.

Niſi fortè in morem Gentilium, impiorumque Porphyrij & Eunomij, has præſtigias Dæmonum eſſe contendas, & non verè clamare Dæmones, ſed tum ſua ſimulare tormenta.

Quid ad hęc Hæretice, qui idem habes in ore? vides à quo tuam illam blaſphemiam hauſeris?

Sed redeamus iterum in Africam, & videamus quid tertius noſter & eximius Doctor Auguſtinus hac de re ſentiat: Js igitur lib. 22. de Civit. Dei c. 8. trium Energumenorum meminit, Quidam, inquit, adoleſcens, cùm de medio tempore æſtatis, equum ablueret, in fluminis gurgite, Dæmonem incurrit,

incurrit, & paulò post, hymnos cantare cœperunt, quâ voce ille percussus & excussus est, & cum terribili fremitu altare apprehensum, movere non audens sive non valens, tanquam eo fuerit alligatus aut fixus tenebat, & cum grandi ejulatu parci sibi rogans, confitebatur vbi adolescentem & quando & quomodo invaserit, postremò se exiturum esse denuntians membra singula eius nominabat, quæ se amputaturum exiens minabatur, atque inter hæc verba discessit ab homine. De altero adolescente paulò post addit: Scio etiam Episcopum, semel pro adolescente quem non vidit orasse, illumque illicò Dæmone caruisse: de puella autem, ita scribit ibidem: Hipponensem quandam virginem scio, cùm se oleo perunxisset, cui pro illa orans Presbyter instillauerat lachrymas suas, mox à Dæmonio fuisse sanatam. Similia habet eodē libro, & alibi passim, ex quibus apparet quod & tempore ipsius plures fuerint in Africa Energumeni: Et licet loco citato referat dictos Energumenos brevi tempore, & absque ulla difficultate fuisse liberatos, alibi tamen & præcipuè lib. 83.qq.q.79. docet Dæmones difficillimè pelli, & quod mirum est beneque notandum ab Exorcistis & Exorcistarū obtrectatoribus, ipsosmet Dæmones interdum secreto Dei judicio, in corporibus ab eis obsessis, ita ligari, ut licet exire velint, & rogent, id tamen nec possint nec eis concedatur: Audi & pondera verba ipsius, cùm agit de medijs quibus pellitur Dæmon à corpore hominis tom 4.fol. 602. Cùm autem non cedunt his signis huiusmodi Potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cùm id justum atque utile judicat; nam nullo modo ulli spiritus audent hęc signa contemnere: contremiscunt enim hæc vbicumque illa prospexerunt, sed nescientibus hominibus, aliud jubetur divinitùs vel ad confundendos malos,

cùm

cùm eos oportet confundi &c. vel ad admonendos bonos, ut proficiant in fide, atque ista non jactanter sed utiliter possint, vel ad discernenda dona membrorum Ecclesiæ: Et paulò post. Propter has igitur causas, plerumque ut dictum est, nescientibus hominibus jubetur divinitùs, ut his signis adhibitis huiusmodi Potestates voluntati hominū nō obtēperent: Ex quo discursu Augustini, benè & maturè ab omnibus ponderando, evidenter patet, quòd non ob solam Dæmoniaci, aut Exorcistæ culpam, quandoque Dæmones non expellantur, sed etiam ex occulto Dei judicio, ob maiorem animæ utilitatem, vel in aliorum exemplum, aut propter alias causas Deo notas: Et hoc ipsum, expresse notant & docent plurimi graves auctores, Victoria de magia q. 6 n. 24. Suarez de hac materia, Valentia, Sotus, Tyræus de Dęmoniacis cap. 47. n. 6. Delrio lib. 6. disquisit. cap. 2. q. 3. sect. 1. remedio 4, & novissimè R. Pater Matthias Hauzeur in sua Anatomia annot. in hanc quæst. his verbis. Quæ signa quatenus sunt lege publica, & stabili à Deo, ad hunc effectum ordinata, habent hunc suum effectum, nisi Deus quasi quadam sua dispensatione in hac sua lege, vi quadam singulari, cogat Dæmones pati vim illam, & non cedere, sicque torqueri ac retorqueri: Hoc ipsum fatentur duo Dæmones quos longo tempore exorcisavi, qui sæpissimè maledicunt diei, quo corpora duarum filiarum ingressi fuerunt & tam à Deo quàm à B, Virgine potestatem exeundi etiam atque etiam petunt & postulant: Sed de hoc nimis: veniamus ad S. Gregorium, 4 Doctorem, & inquiramus an sæculo 6. quo floruit, Romæ fuerint Dæmoniaci? Ita sanè nam inter plura exempla, hanc veritatem demonstrantia, unum scitu dignum refert lib. 3 Dialog. cap. 21. his verbis. Dum ante eos assisteret (agit de Rustico) maligno spiritu correptus

cecidit

cecidit, fatigarique nimijs ſtridoribus, atque balatibus, cœpit, tunc ſanctimonialis fœmina ſurrexit, atque irato vultu magnis clamoribus imperavit dicens: exi ab eo miſer, exi ab eo miſer: ad cuius vocem, mox per os vexati, Diabolus reſpondit, dicens: & ſi de iſto exeo, in quem intrabo? caſu autem, iuxtà porcus parvulus paſcebatur, tunc ſanctimonialis fœmina, præcepit dicens, exi ab eo, & in hunc porcum ingredere, qui ſtatim de homine exivit, porcum quem juſſus fuerat, invaſit, occidit & receſſit. Vides quomodo Dæmon etiam à filia expellatur, quæ etiam egregium Exorciſtis documentum tradit, nempè ut Dęmones durè & severè tractent atque increpent, prout ſæpè monui. Videbis aliud poſtea terribile exemplum in eodem Gregorio, ex quo colliges, quod iſto ævo, plures quoque fuerint Energumeni. Productis igitur quatuor Doctoribus Latinis producam & aliquot Græcos, qui aſſertionem meam confirmant.

CAPVT VI.

Quòd præcipui Eccleſiæ Græcæ Doctores & Scriptores plures quoq; Energumenos, ſuo ævo, agnoverint.

AUdiſti cap. 4. ex Gregorio Nyſſæno, quàm multos Dæmones Gregorius Thaumaturgus ex corporibus hominum expulerit, idem de S. Cypriano repéries apud Gregorium Nazianzenum anno 370. orat. 19. in qua enarrat qualiter ad S. Cypriani ſepulchrum, ſæpiùs Dæmonia eiecta fuerint: Et quia non omnes Gregorium habent, ecce verba ipſius. Dæmonum profligationem, morborum depulſionem, futurorum præſcientiam, vel cineres ipſi Cypriani (modò fides adſit) efficiunt, quemadmodum norunt, qui

qui huius rei periculum fecerunt, ac miraculum ad nos usque transmiserunt &c.

Quid ad hæc Hæretice? qui Reliquias Sanctorum irrides, & eos idololatriæ insimulas, qui eas colunt & venerantur? agnosce quæso, qualiter ministri vestri vos decipiant: Audi & magnum alium Patrem Græcum, Epiphanium dico Salamini Cypri Episcopum, eodem anno 370. crucis & aquæ benedictę virtutem referentem, quæ duo Ministri quoque vestri abhorrent & detestantur.

Erat, inquit, quidam insanus in Civitate, qui nudus per Vrbem circuibat, in Tiberiade videlicet; & cùm sæpè vestis indueretur ipsi, eam dilaniabat, velut tales facere solent: Josephus igitur volens experiri visionem, dubitans autem adhuc verecundiâ detinebatur: assumit itaque hunc intrò, & pręclusis foribus, acceptâque aquâ in manum, eâque crucis signaculo signatâ insanum hominem respexit, ac dixit: in nomine Jesu Nazareni crucifixi, egredere Dæmonium ab ipso, & saluus fiat: homo verò magno clamore edito, humi prolapsus, & multâ spumâ ab ore emissâ, lancinatus ad multum tempus immotus permansit.

Addamus 4. Doctorem, & magnum Ecclesiæ Græcæ lumen, Joannem Chrysostomum Presbyterum primò Antiochenum, & posteà Episcopum Constantinop. anno 378, qui homil. contra Armenos hanc veritatem affirmat, eo ipso, quo refert in more quondam fuisse ut tempore sacrosancti sacrificij, Dæmoniaci ad templum adducerentur, ut populus visâ eorum miseriâ pro eis Deum deprecaretur: & si non habes Chrysostomum: ecce tibi profero verba ipsius.

Causam, inquit, dabo, cur homines à Dęmone agitatos, & furore accitos teterrimo, adduci tempore illo, & capita inclinare jubet Diaconus &c. sic Patres statuerunt, ut cum

 brevi Chri-

vi Christum, veluti pro tribunali sedere, ipsisque Sacramentis apparere futurum esset, homines Dæmone agitati illi tanquam vinculis quibusdam retenti adducerentur, non ut rerum, quas commisissent examen subirent, modo eorum, qui in vinculis sunt, nec ut luerent pœnas, & supplicijs afficerentur, sed ut populo vniversâque Civitate præsente, communes pro his fierent supplicationes, ut omnes jugi concordiâ, Dominum communem orarent pro his, & quod misereretur, magno clamore contenderent. Quid ad hæc Ministri impostores, & deceptores, qui cum Luthero & Calvino Patriarchis Ecclesiæ vestræ difformatæ, creditis & docetis Ecclesiā primævā, fuisse puram & ab omni errore liberam; ecce Patres illi omnes, uno excepto, quos retuli, fuerunt in illa Ecclesia primæva, & tamen omnia quæ condemnatis, sacrificium missæ, realitatem corporis Christi in Eucharistia, usum signi crucis, aquæ benedictę, exorcismorum, & alia omnia quæ nos credimus & observamus, ipsi crediderunt & observarunt, prout in alio opere fusiùs demonstro; quâ igitur ratione illa irridetis, reprobatis & condemnatis, & vobis tam miserè contradicitis? sed mittamus cœcos illos ac instabiles ministros, & ad Sanctum nostrum Doctorem redeamus: si habes Lector benevole opera ipsius, ea percurre, & videbis in singulis tomis energumenos: Et ut faciliùs reperias, ecce tibi ob oculos pono:

Dæmonis furorem in Exorcistas, invenies tom. 3. p. 716. editionis Basiliensis anno MXLVII.

Dæmones Sanctorum vel cineres pertimescere, tom. 5. p. 1057.

Item dæmones fugari ossibus Sanctorum, tom. 4. p. 856.

Comparationem Dæmoniaci & Luxuriosi, tomo 2. p. 272.

Et dæmoniaci & avari collationem, ibid. p. 660.

Item collationem iracundorum & dæmoniacorũ lege,& videbis qualiter conſoletur dæmoniacos, & inter eos,quendam Monachum dictum Stargirium in mundo magnum & nobilem, quem dœmon factum Monachum obſederat, & graviter affligebat ; tres ad eum libros lectu digniſſimos, verè aureos miſit,in quibus multa ad conſolationem,& cum divina voluntate conformitatem ſtylo admirabili proponit : lege hos tres libros, & te legiſſe non pœnitebit : ſi non habes, vel legere piget, ecce tibi aliqua excerpo :

Omni actione diabolicâ potentior eſt ad nocendum mœroris magnitudo : namque & dæmon quoſcumque ſuperat, per mœrorem ſuperat : eum ſi auferas, nihil à dæmone quiſquam lædi poterit : Et quomodo, inquies, fieri poteſt, ut mœrore vacem ? ego contra, te interrogabo, quâ tu ratione mœrore affici debes : nempè enim, ſi adulterium, ſi homicidium, ſi ſcelus aliquod huiuſmodi perpetraſſes, quod te Regnis cœleſtibus excluderet, rectè mœroris ac juſta tibi cauſa lugendi eſſet, nulluſque te à lachrymis & fletibus prohiberet:quod ſi per Dei gratiam,ab his longiſſimè remotus es, quid fruſtrà teipſum concidis ac perimis ? Et infrà:

Gaudere potiùs, & meliore animo eſſe debes, quòd hîc peccata tua tibi remittantur, ne cum ſæculo iſto damneris: qui enim dolet, non quia cruciatur,ſed quia offendit Deum, dolere debet : peccata enim ſeparant à nobis Deum, conſtituuntque nobis illum inimicum, cruciatus verò nobis illum reconciliat, præparatque propitium ac propinquum fieri : quòd autem non ſit peccatorum retributio, ſed coronarum potiùs, præmiorumque materia, ſudor iſte tuus, ac dolor, hinc ſanè manifeſtum eſt : ſi enim priùs turpiter ac luxuriosè vixiſſes, atque ita te ad Monachorum converſationem

contulisses, nequidem hæc suspicio locum habuisset: nam si ob hoc pœnas infert, ut in malis perseverantes ad pœnitentiam provocet, ostensâ pœnitentiâ, superflua jam erit pœna &c. Hactenus Stargirio energumeno, amico suo fideli. Similia habet tomo 3. in acta Apost. cap. 19. Non est ita magnum, inquit, à dæmone liberari, ut eripi à peccato: dæmon non prohibet Regnum cœlorum assequi, imò cooperatur, invitus quidem, cooperatur tamen, faciens habentem se continentiorem: peccatum autem Regno ejicit. Igitur ab hoc curemus liberare proximum, & ante proximum, nosipsos: videamus ne dæmonem habeamus, scrutemur nos exactè: peccatum gravius est dæmone: nam ille quidem humiles facit: an non videmus dæmoniacos, quàm sint submissi, quàm tristi vultu, quantâ erubescentiâ vultus illorum pleni sunt &c. & infra.

Vides quod peccatum Dæmone gravius sit: & illi quidē ex his quæ graviter ferunt, duplex lucrum reportant: unum quidem, quod humiliores & modestiores fiunt: alterum quòd pænas hic suorum peccatorum dantes, & puri ad Dominum migrant: tandem ita concludit; Ergo nonne peccantes deterius affecti sumus, quàm Dæmonio vexati? sed quòd non spumamus, neque pupillas distorquemus, neque manus, utinam hoc in corpore pateremur, & non in anima: vis tibi monstremus animam, spumabundam, immundam, & distortos oculos mentis? cogita irascentes, ac ebrios à furore, quâ salivâ non immundiora verba ejiciunt? profectò fœtidum sputum eructant, & sicuti illi nullum ex præsentibus norunt, ita neque hi non vides hos tremere, sicut illos? hæc ex Chrysostomo, quæ exscribere volui, ut exorcistæ illa sæpe relegant, sibique ac Energumenis & maleficiatis proponant, qui in suis illis afflictionibus, consolatione

summo-

ſummopere indigent, atque ita alios Patres accedemus, & inquiremus, an ſuo quoque ævo, Energumenos habuerint, & quibus modis eos liberaverint.

CAPVT VII.

Quòd alij Patres & hiſtorici Energumenos ſuo quoq; ævo agnoverint, & varijs modis à Dæmonum tyrannide eripuerint.

QVamvis Patrum, tam Latinorum, quàm Græcorum teſtimonia: qui quinque primis ſæculis floruerunt, incredulos omnes convincant, Hæreticos autem aperte confundant, & pro veritate fidei Catholicę, in punctis præmiſſis, & aſſertionis meæ, abunde ſufficere debeant, tamen ut oſtendam omnes reliquos ad noſtrum uſque ſęculum, idem credidiſſe, & docuiſſe, adjiciam hoc caput 7. quod rogo ab hæreticis, & incredulis patienter & attente legi atque ponderari. Primò igitur ab Africa, Syria, Palæſtina, Aſia, Italia, aliiſque Provinciis in quibus Energumenos reperimus, eos in Galliam, Germaniam, Saxoniam, & Angliam, atque in totum Belgium deducam, & in omnibus iſtis Provincijs, Energumenos quoq; oſtendam.

Et ut incipiam à Gallia, produco Sanctum illum Epiſcopum Martinum, qui plures, teſte S. Gregorio Turonenſi, miris modis expulit. Vide libros eius de gloria Confeſſorum, & mira hanc in rem videbis: Si non habes, ecce tibi, pauca ex multis profero: lib. 1. cap. 38. mira narrat de miſerrimo homine, Paulo nomine, Energumeno, quem ipſe miro modo liberavit.

Item

contulisses, nequidem hæc suspicio locum habuisset: nam si ob hoc pœnas infert, ut in malis perseverantes ad pœnitentiam provocet, ostensâ pœnitentiâ, superflua jam erit pœna &c. Hactenus Stargirio energumeno, amico suo fideli. Similia habet tomo 3. in acta Apost. cap. 19. Non est ita magnum, inquit, à dæmone liberari, ut eripi à peccato: dæmon non prohibet Regnum cœlorum assequi, imò cooperatur, invitus quidem, cooperatur tamen, faciens habentem se continentiorem: peccatum autem Regno ejicit. Igitur ab hoc curemus liberare proximum, & ante proximum, nosipsos: videamus ne dæmonem habeamus, scrutemur nos exactè: peccatum gravius est dæmone: nam ille quidem humiles facit: an non videmus dæmoniacos, quàm sint submissi, quàm tristi vultu, quantâ erubescentiâ vultus illorum pleni sunt &c. & infra.

Vides quod peccatum Dæmone gravius sit: & illi quidē ex his quæ graviter ferunt, duplex lucrum reportant: unum quidem, quod humiliores & modestiores fiunt: alterum quòd pænas hic suorum peccatorum dantes, & puri ad Dominum migrant: tandem ita concludit, Ergo nonne peccantes deterius affecti sumus, quàm Dæmonio vexati? sed quòd non spumamus, neque pupillas distorquemus, neque manus, utinam hoc in corpore pateremur, & non in anima: vis tibi monstremus animam, spumabundam, immundam, & distortos oculos mentis? cogita irascentes, ac ebrios à furore, quâ salivâ non immundiora verba ejiciunt? profectò fœtidum sputum eructant, & sicuti illi nullum ex præsentibus norunt, ita neque hi non vides hos tremere, sicut illos? hæc ex Chrysostomo, quæ exscribere volui, ut exorcistæ illa sæpe relegant, sibique ac Energumenis & maleficiatis proponant, qui in suis illis afflictionibus, consolatione

summo-

ſummopere indigent, atque ita alios Patres accedemus, & inquiremus, an ſuo quoque ævo, Energumenos habuerint, & quibus modis eos liberaverint.

CAPVT VII.

Quòd alij Patres & hiſtorici Energumenos ſuo quoq; ævo agnoverint, & varijs modis à Dæmonum tyrannide eripuerint.

QVamvis Patrum, tam Latinorum, quàm Græcorum teſtimonia: qui quinque primis ſæculis floruerunt, incredulos omnes convincant, Hæreticos autem apertè confundant, & pro veritate fidei Catholicę, in punctis præmiſſis, & aſſertionis meæ, abunde ſufficere debeant, tamen ut oſtendam omnes reliquos ad noſtrum uſque ſęculum, idem credidiſſe, & docuiſſe, adjiciam hoc caput 7. quod rogo ab hæreticis, & incredulis patienter & attentè legi atque ponderari. Primò igitur ab Africa, Syria, Palæſtina, Aſia, Jtalia, aliiſque Provinciis in quibus Energumenos reperimus, eos in Galliam, Germaniam, Saxoniam, & Angliam, atque in totum Belgium deducam, & in omnibus iſtis Provincijs, Energumenos quoq; oſtendam.

Et ut incipiam à Gallia, produco Sanctum illum Epiſcopum Martinum, qui plures, teſte S. Gregorio Turonenſi, miris modis expulit. Vide libros eius de gloria Confeſſorum, & mira hanc in rem videbis: Si non habes, ecce tibi, pauca ex multis profero: lib. 1. cap. 38. mira narrat de miſerrimo homine, Paulo nomine, Energumeno, quem ipſe miro modo liberavit.

Item

Item lib.2.cap.18. videbis lunaticum quendam, cui nomen Laudulphus, obſeſſum & Dæmonem eum obſidentem in baſilica S. eiuſdem Martini, horrendis modis agitari & cruciari.

Et cap. 20. eiuſdem libri, leges qualiter Deſiderius in cellula, in qua vir Dei tranſijt orans totâ nocte, Dæmone debacchante, mane facto, cœpit declarare, quòd eum B. Martinus incenderet: in his inquit, Greg. Turon. vocibus evomens virulentum neſcio quid, cum ſanguine, Dæmone ejecto, purgatus eſt.

Item cap. 37. alium Energumenum in baſilica eiuſdem liberatum agnoſces.

Lib. 4. cap. 24. leges, quòd non unus ſed plurimi in eius feſtivitate fuerint liberati.

Eodem lib cap. 37. alios duos videbis quos idem S. Martinus mirabiliter liberavit. Item Greg. Turon. lib 1. cap. 2. refert ex S Paulino, hiſtoriam inauditam quorundam Energumenorum, qui à Dæmonibus per cancellos baſilicæ S. Martini volatu aëreo vehebantur, & ſæpè in puteum, impulſu Dæmonis illæſi jactabantur, quos pariter magnus ille Epiſcopus liberavit. Item de aliis, qui in amnem à Dæmonibus præcipitati, abſque periculo, meritis B. Martini egreſſi & liberati fuêre.

Quid plura? ibidem invenies alium miſerum Energumenum, Ægidium nomine, meritis eiuſdem Sancti pariter liberatum. Quid ad hæc Hæretice? qui loca ſacra reliquias, & invocationem Sanctorum nequiter irrides, & ſuperſtitionis accuſas, vides quot Energumeni in Eccleſia ſancti illius Epiſcopi (cuius reliquias impij & ſacrilegi tui fratres incenderunt) liberati fuerint? Et tu incredule, qui non credis Energumenos, vel ſi frigidè & dubitanter credis, vis eſſe paucıſ-

paucissimos, ecce in unica Galliæ Ecclesia tot tibi profero: si omnes alios eiusdem Provinciæ Sanctos vellem proferre, qui Energumenos quoque liberaverunt, nullus esset finis. Si hæc non sufficiant, ecce tibi ex eodem Greg. Turon. alia exempla profero: Ille tibi refert in vita Gregorij Lingonensis Episcopi, quod ipsius ævo multi quoque fuêre Dæmoniaci, quos ad se adductos solo signo crucis & verbo liberabat: Et quod mirum est, quòd multi Dæmonia ab obsessis pellebant unâ virgâ, quam sanctus ille Episcopus gestare solebat.

Idem lib. 2. miracul. cap. 44. refert quemdam miserum Dæmoniacum, ad pignora sancti Juliani recurrisse, ibique cum vomitu, sanguinem & Dæmonem ejecisse: vides denuò miser Hęretice, usum signi crucis, & reliquiarum, earumque vim & efficaciam.

Vis alia? vide vitam S. Monegundis anno 560 apud eundem Gregor. Turo: & hæc leges: rogabatur illa, ut quia mortua, infirmo, quod viva fecerat, mederi non posset, oleum, salemque benediceret, quæ ægrotantibus benedictionem flagitantibus ministrarentur: par & votis. & quidem cum plurimorum emolumento, quoniam ut idem Gregor. habet de memórata benedictione multi post eius transitum ægroti, incolumitatis beneficia sunt experti.

Et ne solum Gregor. hæc notasse & referre putes, vide Fortunatum Pictavorum Episcopum in vita S, Germani Episcopi Parisiensis, & leges quòd post impressam puellæ cuidam Dæmoniacæ crucem spiritus per nares eius in specie muscæ egressus fuerit.

De Arnolpho Swessionensi Episcopo, viro in expellendis Dæmonibus miræ potestatis, scribit Liscardus eiusdem Ecclesiæ Episcopus, cap. 24. Quod ad ipsum perductus fue-

rit adolescens ab integra Dęmonum legione obsessus & miserandis modis vexatus & cruciatus, qui licet vix ullis posset constringi vinculis, mox tamen visâ cruce, velut agnus quievit, sanctumque virum adoravit.

Notent hoc Exorcistæ, & nunquam sine cruce exorcismos aggrediantur, hæc enim Dæmones mirabiliter terret, & ideò tanquam gladio efficacissimo, Exorcistis contra eos tempore exorcismorum decertandum est.

His armis munitus Patroclus, Eremi cultor, plurimos Dæmones expulit teste Greg. Turo. in eius vita cap. 9.

Eodem signo Mauritius Episcopus Andegavensis usus est, in dæmoniaca liberanda, quam propter ferociam spiritus illam agitantis, oportuit vinculis constringi, prout dictus suprà Fortunatus in eius vita refert.

Quid plura? eodem signo usus est ad pellendum dæmonem à muliere quadam energumena Albinus Andegavensis Episcopus, ut videbis apud Vincent. l. 23. cap. 243.

Vis exempla recentiora? eâdem cruce usa est S. Catharina Senensis in pellendo nequissimo quodam dæmone à misero obsesso, ut colliges ex Raymundo.

Eâdem usa est S. Brigitta vidua, in fæminæ cuiusdam etiam energumenæ liberatione, teste Surio tom. 4. fol. 350. Sed satis est de cruce, & de Gallia; veniamus ad Germaniã, & Energumenos in illa inquiramus, modosque videamus, quibus fuerunt liberati: Tantus fuit omni tempore in illa energumenorum numerus, ut vix exprimi possit: ecce profero ex innumeris tria vel quatuor exempla. Gregorius Turo. sępiùs citatus refert terribilem historiam in vita Nicety Episcopi Trevirensis, qui cùm Theobertum Francorũ Regem Theodorici Filium argueret, quòd multa iniquè exerceret, ipseque hoc ægrè ferret, & Sancti Episcopi jussa non

non impleret, ſubitò exclamans unus ex populo arreptus à dæmone, juvenis adhuc puer, cœpit Sancti virtutes, & Regis crimina proclamare, quem ſigno quoq; crucis liberavit.

Si habes Vincent. ſuprà citatum, lege illum, lib. 24. cap. 88. vel ſi non habes, Chronicon Saxoniæ: ibi leges qualiter anno ſalutis 969, quidam Comes Othonis Imperatoris familiaris, à crudeli & ſævo ſpiritu obſeſſus, miſerandiſſque modis afflictus, agitatus, & cruciatus, ita ut ſeipſum dentibus morderet, & dilaceraret, juſſu eiuſdem Othonis ad Joannem Pontificem ductus fuerit, qui ut ſacram, quâ quondam Petrus vinctus fuerat, catenam attigit, ſtatim à nefario illo ſpiritu liberatus fuit. Quòd ſi nec Chronicon, nec Vincent. habes, lege Breviarium Romanum, in feſto S. Petri ad vincula, primâ Auguſti, & hiſtoriam paucis intelliges.

Idem videbis in geſtis Pipini Caroli Magni Parentis, à Lupo relatis, apud Surium, tomo 3. qui magno animi ſui mœrore cernens Clericum ſuum, cui Brunco nomen erat, obſeſſum & miſerè agitatum, poſt varia in caſſum tentata media, tandem ad limina Eccleſiæ S. Maximini Trevirenſis Epiſcopi, eum deſtinavit, qui illicò per S. iſtius merita, à dæmonis tyrannide ereptus fuit. Quanti autem ſit meriti apud Deum magnus ille Epiſcopus, & gloria Civitatis Trevirenſis, idem Lupus demonſtrat, narrans, uno, eodemque die, S. Maximini ſacro, 37. energumenos, eiuſdem Sancti meritis, ſeu Reliquiarum eius beneficio, à dæmonibus fuiſſe liberatos, qui addit (quod mirum eſt) inter illos, quandam fæminam exſtitiſſe, ſpatio 47. annorum obſeſſam, quam dæmon cum multis clamoribus & eiulatibus reliquit, & Templum ſulphureo nidore implevit: nec hoc ſatis: Eodem Lupo teſte, anno ſequenti, eodem die Sancto Maximino

mino ſacro, etiam 22. energumeni liberati fuerunt: & tandem, anno tertio, tredecim.

Quid ad hæc bone Miniſter, qui cultum Sanctorum & & reliquiarum ſuperſtitionis, imò idololatriæ accuſas, an non hæc legens confunderis? vis plura? lege Surium tom.4. fol.338. ibi videbis, quod cum corpus S. Liborij Epiſcopi Cenomatenſis, Badelbornam transferretur, quidam Diaconus quem pluribus annis ſævus Dæmon crudeliſſimè cruciaverat ad tactum illius imò conſpectum, fugatus & ejectus fuerit, quodq; in ipſo itinere, cùm miſerrima mulier etiam obſeſſa ad ſacra pignora adducta fuiſſet, Dęmon horrendum in modum mugire, ſibilare, atque alias ferarum beſtiarum voces edere cœperit, mox autem ut feretrum attigit, eam relinquere coactus fuit: Si alios omnes præteritorum ſæculorum Energumenos, quos Germania vidit, proferre vellem, te amice Lector, præ multitudine obruerem, his igitur relictis, ad Angliam propero, & plures quoque ibi demonſtro apud Venerab. Bedam qui lib. 3. hiſtoriæ Anglicanæ cap. 11. refert, Quòd de ipſo pulvere, in quem effuſa fuit aqua, quâ B. Oſualdi oſſa fuerant abluta, Dæmoniacum, cui Exorciſmi nihil profuerant, ſanaverit.

Si Beda non ſufficit, ecce tibi profero Sigebertum, qui deſcribens geſta Maltonij Epiſcopi inter alia refert: Quòd inſtanter rogatus, ut nobilis cuiuſdam filiam Energumenam, quam ſęviſſimè ferox quidam Dæmon torquebat, curare dignaretur, ipſius miſertus, in filiæ collum ſtrophiolum ſuum projecerit, ſtatimq; nefarius ſpiritus multa convitia & maledicta evomens, poſt ſumptam aquam benedictam, exierit. Et quia Hæretici omnes aquam benedictā ſuper omnia irrident, in eorum confuſionem, alios energumenos illis profero, qui per aquam pariter benedictam liberati

berati fuerunt. Lege Surium tom.4. 17. Septemb. in vita S. Hildeg. lib. 8. cap. 22. & ibi invenies mulierem dæmoniacam mirè à dæmone agitatam & cruciatam, quæ virtute aquæ lustralis à dæmonis tyrannide coram universo populo, Deum benedicente, liberatur.

Item Petrum Damian. in vita S. Odilonis Abbatis Cluniacensis anno 1048. in Jurensi Monasterio: ibi quoque videbis puerum, Gerardum nomine, lunaticum, ita miserè afflictum, ut in eo neque vox, neque memoria, nec prorsus aliqua membrorum officia remanerent, per haustum aquæ benedictæ plenè liberatum fuisse.

Inspice vitam Eligij Noviomensis Episcopi, & videbis 50. energumenos aquæ benedictæ aspersione, ab immundis spiritibus liberatos.

Item S. Willibrordi Episcopi Trajectensis, & leges miseram familiam à dæmonibus varijs horrendisque modis vexatam, post multos exorcismos, tandem aspersione aquæ lustralis fuisse liberatam.

Quanti verò hanc aquam faceret Magnus noster Patronus S. Hubertus, audi ex Surio tomo 6. 3. Novemb. anno 700, hęc de illo referente: Jam nunc vado, inquit S. Hubertus, aquam quæ sacerdotali consecratione, sale admixto benedicta, & ad effugandam inimici nequitiam, orationis virtute, impregnata est, liquorque olim itidem Apostolicâ authoritate benedictus huc deferatur, quorum aspergine, atque liturâ mox ita effugabuntur hinc inimici virulenta phantasmata, ut impius non sua audeat inferre machinamenta. Ecce arma S. Huberti, aqua, & oleum benedictum quibus dæmones pellebat, cuius tanta virtus & potestas in dæmones exstitit, ut eos alapis expelleret, teste eodem Surio. His accedit S. Macharius, quem aquâ benedictâ pue-

rum

rum dæmoniacum sanasse refert Pallad. in libro qui inscribitur, Paradisus Heraclidis, cap. 6.

Pro hac veritate, vide Surium in Historia inventionis S. Celsi tomo 7. cap. 11. & leges puerum quendam à Parentibus S. Euchario oblatum: hic cùm à dæmone (in forma hominis) oblatam aquam, antequam eandem cruce signasset, bibisset, ab eodem possidetur: mox ad S. Eucharij altare adductus, fiunt pro ipso orationes, sacratur aqua, offertur bibenda, haustâ subitò abactus dæmon. Simile quid invenies in vita Sancti Arnolphi Episcopi Swessionensis: Dum huic pacem componere volenti quidam resistit, & ne oratione viri sancti ad pacem compellatur, fugit, à dæmone in ipsa fuga obsidetur: pro obsessi sanitate rogant alij, & illam fide pacis admittendæ datâ obtinent; sed beneficio aquæ benedictæ, quâ dæmoniacum vir Sanctus abstersit.

Pro asserta veritate, & aquæ benedictæ potestate, faciunt gesta S. Laurentij Dublinensis Archiepiscopi, & Maltonij Episcopi apud Sigebertum, qui refert utrumque energumenis aquam bibendam obtulisse, moxque eâ haustâ, ipsos fuisse à potestate eorum plenè liberatos.

Vide vitam utriusque apud Surium tomo 6. Quid ampliùs? in vita S. Elisabethæ Hungariæ Reginæ, reperies quòd ad Sarcophagum eius adducta fuerit puella quædam per malam Parentum imprecationem obsessa, & miserè vexata, quæ sacrâ aquâ haustâ, cum pane benedicto, mox fuit à tyrannide dæmonis fœliciter erepta.

Denique idem videbis in vita S. Bernardi lib. 2. cap. 3. Inter plurimos enim, quos ipse liberavit energumenos, ad eum adductus fuit miserrimus puer, qui fuerat toto triennio ab obsidente dæmone gravissimè tortus & vexatus: videns ipse miseriam pueri, jubet in os eius aquam consecratam

tam infundi, sed contra niti dæmon cœpit, labia comprimere, & frendere dentibus: tandem sordidissimo post se vomitu relicto, egressus est: sed de ipso plura inferiùs.

Quid ad hæc omnia reformate? videsne vim & efficaciam aquæ benedictæ, eiusq; ab Apostolis in toto orbe usum, contra quam tamen impiè, sacrilegè & scurriliter debaccharis? Ex his, Exorcistas omnes advertere velim, quanti aquam lustralem æstimare debeant, eamque semper ad manum, tempore exorcismorum habere, ut energumenos & maleficiatos, seque ipsum & astantes, locaque vicina frequenter aspergant, & frequenter eam ipsis bibendam offerant. Cæterùm, quia nondum energumenorum finis, qui ante nostrum sæculum, sese ubique offerunt, & monent quomodo & qualiter obsessi fuerint, & quibus modis liberati, Caput 8. adjungemus.

CAPVT VIII.

Quòd præter energumenos, quos ubique in quatuor primis, & sequentibus sæculis vidimus, innumeri supersint, qui varijs de causis obsessi fuerunt, multisque modis liberati.

HActenus totum fermè mundum percurrimus, & plures ubique energumenos reperimus, qui varias ob causas in hanc miseriam inciderunt, & per media supra relata, pristinæ sanitati restituti fuerunt, ex quibus non solùm Heretici & increduli confusi sunt, sed alij omnes in fide Catholica confirmari possunt, & liquidò agnoscere quanta sit energumenorum miseria, dæmonum sævitia, & Ecclesiæ Catholicę in eis expellendis & coërcendis potentia: in eundem

dem finem, antequam ad ſęculum noſtrum accedam, in hoc capite inter innumeros, quos, ultra cap. ſuperiori relatos, ubique monſtrare poſſem, aliquot notabiliores proferam, qui magnos & divites juxta ac parvos & inopes cautos reddent, ſi benè inſpiciantur. Omiſſis igitur innumeris energumenis quos ſancti Eremitæ Antonius, Paulus, Hilarion, Daniel Stylita, alijque plures ſanitati reſtituerunt, proferam aliquos ad inſtructionem legentium & morum correctionem.

Vitalio Monacho de proſtibulo aliquando egredienti, quidam qui temerè judicarat eum explendæ libidinis gratiâ, in illo fuiſſe, colaphum impegit, dicens, uſquequo peſſimè illuſor Chriſti non emendas te ab his nequitiis tuis? mox quidam dæmon tanquam æthiops deformis, dat ei quoque alapam, & cadens cœpit fumare à dæmone obſeſſus, ſed poſt aliquot horas ad ſe rediens, currit cum aſtantibus ad cellulam Vitalij: culpam, inquit, feci ſerve Dei, miſerere mei: qui ignoſcens & orans, percuſſorem à dæmone liberavit, & in cellula inventa fuit ab aſtantibus ſcriptura, hæc continens: Viri Alexandrini, nolite ante tempus judicare, quoaduſque veniat Dominus: adibat autem Vitalius proſtibulum, ut meretrices à turpi corporis quæſtu avocaret, pecuniâque paciſcebatur, vel unius continentiam. Perpendant hoc exemplum Exorciſtarum obtrectatores, & qui de ijs, miſeriſque energumenis malè judicant, & fictionis eas inſimulant, ne idem illis contingat.

Sed ecce aliud exemplum pro detractoribus: Impudens ſcortum incredibilia quædam de S. Daniele Stylite confinxit mendacia: dicebat enim cum Mænade, quæ probari non poterant: verumenimverò, hîc Deus mox adfuit, & juſtitia quæ vitari non poterat: malus ſpiritus ſtatim mittitur

tur ad malam & mendacem fœminam & invitam cogit ſu-
um effari mendacium, & hæreticorum machinationem: il-
le verò poſteà rogatus, ut illam curaret, memor verborum
Chriſti diligite inimicos veſtros, ipſam liberavit.

Simile exemplum habes ſuperiùs in vita S. Gregorij Thaumaturgi, qui meretricem ſe quoque calumniantem, & ideò obſeſſam, liberavit iniuriæ immemor: Vide quoque in vita S. Vincentij ferrar. eandem prorſus hiſtoriam: ibi leges miſeram filiam idem crimen ipſi nequiſſimè imponentem, quæ mox à ſævo Dæmone correpta fuit, nec ab vllo Exorciſta liberari potuit, niſi à ſolo Vincentio: Cùm hæc legunt Exorciſtarum obtrectatores, ſibi caveant, & alieno periculo, cauti fiant: Sed alia videamus: Audiant detrectatores & qui de Exorciſtis & Energumenis malè judicant, quid tribus detractoribus evenerit. Cùm S. Maurus Abbas oratione & ſigno crucis Clericum, qui cæmentariæ arti præerat, colliſum ſanum reddidiſſet, quidam eius artis operarij beato viro detrahere cœperunt, dicentes inter alia præſtigijs quibuſdam eum uti, & hominum oculis ſceleratè illudere: cum hæc inter ſe ſermocinarentur, & alter alterum in odium S. viri concitaret, tres ex illis maligno Dæmone è veſtigio correpti, tantâ crudelitate diſcerpti ſunt ut unus animam inter acerba tormenta, cum lugubri valde ejulatu, exhalaret: quod ut ad aures B. Mauri pervenit ſtatim lachrymis totus infuſus, ad S. Martini oratorium contendit vbi tribus horis continuis in oratione exactis, ad homines extremâ calamitate miſeros acceſſit, & edito contra illos crucis ſigno, filius Dei, inquit, qui Diſcipulis ſuis calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, poteſtatem dedit ab hac Dæmoniaca vos vexatione abſolvat, cumque illi nihilominus dentibus & oculis furorem ſpirarent, vir Dei

 pro-

propiùs accedens, digitos utriusque manus in ora illorum misit, & statim Dæmones ingenti fœtore relicto, ventris egestione fugati sunt; tertium verò iam vitâ functum, sacrificio Missæ pro illo oblato, alijsque orationibus, etiam vitę restituit. Perpende detractor hæc omnia, qui absque scrupulo omnia condemnas & calumniaris, ipsosque Exorcistas magos & præstigiatores in animo tuo judicas & censes: sed nec adhuc finis, audi alia & contremisce Hujus rei vindictam horribilem valde & mirabilem vidi, ait Thomas Cantip. lib. 2.apum capite 37. Novi Sacerdotem, qui in tantum vitio linguæ deditus erat, ut potiùs de se pessima mentiretur quàm non socios vel cohabitantes sibi,criminibus infamaret,hic ante mortem raptus in furiam tantâ in se debacchatus est cæde,ut proprijs dentibus linguam maliloquam laniaret &c. Sat de detractoribus eorumque punitione; veniamus ad alia. Joannes Nider lib. formicarij, aliam terribilem filiæ punitionem refert, quæ à consanguinea propter fractionem vasculi correpta, gravissimè excanduit, & comedere coacta, hoc execrandum & iracundum verbum protulit: Si me oportet edere, in nomine Diaboli fiat, quo dicto, mensam accessit, benedictionem mensę neglexit, & in primo morcello, muscam ori illatam sensit,quam cum nullâ arte ejicere valeret, deglutivit, & immediatè obsessa fuit,quæ tamen voto castitatis,casu quo liberaretur, de consilio Patris unius ex ordine Prædicatorum,emisso, ipsius sacrificijs, precibus & exorcismis liberata fuit.

Aliud terribile exemplum leges in vita S. Parthenij Episcopi,apud Metaphrastem & Surium 7. Febr. ad hunc enim cùm Parentes filium suum obsessum adduxissent vir sanctus dixit eis: non est dignus qui curetur, est enim parricida, vos namque sæpè ab eo habiti contemptui, in animæ vestræ ama-

amarore, à Deo petijstis ut ipse castigaretur, sinite eum sic esse, expedit enim: illi verò, ut qui essent Parentes & vincerentur visceribus misericordiæ, exclamaverunt rogantes eum cum lachrymis: Beatus autem Parthenius misertus lachrymarum parentum, Deum precatus est pro ipso, & protinus egressus fuit ab ipso Dæmon.

Vide eundem Surium 25. Maij in vita S. Zenonis, & ibi idem videbis: videbis, inquam, duos adolescentes matri rebelles, à Dęmonibus obsessos & sævissimè cruciatos, qui ad virum sanctum, ab eadem matre adducti, per signnm crucis ab eo liberati fuerunt.

Idem Surius in vita S. Joannis Chrysostomi 17. Januarij, aliud in hanc rem exemplum tibi exhibet, de quodam Anthemio viro nobili, sed Religione gentili, qui cum eodem Chrysostomo disputans & plurima contra fidem Catholicam & Christum præcipuè ore sacrilego evomens statim à maligno spiritu correptus & terræ allisus, miserè jacuit rugiens, stridens dentibus, & spumam ex ore turpissimè expuit.

Lege Baron. ad annum 1073. ibi cernes qualiter Alexander II. Pontifex Dæmoniacum quemdam his verbis liberaverit: præcipio tibi immunde spiritus ut exeas ab hoc homine, & vadas in illum locum, vbi nec avis volat, nec vox hominum resonat. sisque ibi, vsque ad diem judicij.

Gregorius Turonensis lib. 1. de gloria Martyrum cap. 105. terribile quoque refert exemplum de quibusdam militibus qui ob vim templo Dei illatam, à Dæmonibus correpti fuerunt. Similia videbis inferiùs cap. 15, in quo ago de causis obsessionis; & si Thyræum habes, lege illum parte 2. cap. 30. in quo non solùm plura eiusmodi exempla reperies, sed agnosces assertionem meam verissimam esse, quæ ha-

bet

bet ſemper & ubique fuiſſe dæmoniacos quandoquidem legamus in pluribus Patribus & hiſtorijs plurimos fuiſſe propter enormia quædam peccata, à Dæmonibus obſeſſos: ut tibi hanc veritatem clarius ob oculos ponam tempore Apoſtolorum, quidam Corinthius ab Apoſtolo fuit traditus Satanæ ut habes 1. Corinth. 5. idque propter nefandum incæſtum.

Propter luxuriam, ipſa Magdalena ex multorum opinione, à 7. Dæmonibus obſeſſa fuit.

Propter infidelitatem, & agnitæ veritatis impugnationem plurimos fuiſſe Romæ Energumenos, oſtendit Tertul. Apol. cap. 37.

Tempore quoque Cypriani, & ante ipſum, multos à Dæmonibus fuiſſe obſeſſos quòd à fide receſſiſſent, ex ſcriptis ipſius videre eſt multis locis, unum exemplum, ab eo relatum, proferam.

Alia, inquit, mulier, in balneis conſtituta, ab immundo ſpiritu immunda correpta, laniavit dentibus linguam, quæ fuerat vel paſta impiè, vel locuta &c.

Vide ſermone de lapſis, & videbis alios viros, & mulieres à ſpiritibus malis pariter obſeſſos fuiſſe, quod indignè ad ſacram ſynaxim acceſſiſſent.

Vide inſuper Metaphraſten in vita S. Triphonis 1. Febr. & audies à Dæmone, qui Gordiani Imperatoris filiam torquebat quod Dæmones in illos habeant poteſtatem, qui opera ijſdem grata exercent, qualia ſunt, inquit, cultus ſimulachrorum, blaſphemiæ, adulteria, veneficia, invidiæ cædes &c.

Idem leges in Caſſiano. Collat. 7, cap. 24. his verbis, Conſtat immundos ſpiritus, non aliter poſſe in illos quorum corpora obtenturi ſunt, penetrare, niſi prius eorum mentes cogi-

cogitationesque possederint: quos cum timore ac memoria Dei, vel spiritualis meditatione nudaverint, velut exarmatos omni præsidio, ac munitione Divinâ nudatos, facilè vincendos audacter invadunt, domicilium in ijs veluti in possessione sibi tradita, præsumentes.

Vide quoque Surium tom. 3. fol, 298. & leges, quòd quidam Nicomachus nomine fuerit ab immundo spiritu obsessus propter defectum à fide & idololatriam, Huc etiam facit, quod refert Gregor. Turo. de gloria Confessorum cap. 67. de quodam viro impio, qui propter blasphemiam in S. Lupum, mox à Dæmone quoque correptus fuit, & tertio die post horrendos cruciatus, miseram vitam finivit.

Idem reperies apud Baronium tom. 7. ad annum Christi 630. his verbis, Quidam in domo cuiusdam prandentes, eò prolapsi sunt, ut in virginem Deiparam, convitia & execrationes jacerent: horum reliqui duo à malis spiritibus correpti pœnas dederunt.

Eodem ferè tempore, videbis apud S. Gregor. lib. 1. Dialogor. cap. 9. nobilem quandam Matronam de qua suprà in publica processione à Dæmone obsessam, eò quòd carnis voluptate victa, ut ipse loquitur, à viro suo non abstinuerit, quando sequenti die, Oratorium S. Sebastiani processionem cum reliquis peractura intravit:

Leontius Neapoleos Cypri Episcopus eandem punitionē de viro quodam luxurioso refert, qui propter suam turpitudinem à Dæmone pariter correptus fuit, & miserrimè cruciatus: Innumera alia exempla prorsus similia, apud Patres & historicos reperiuntur: videbis aliqua inferius vbi refero causas ob quas Dæmones miseros mortales obsidere solent hæc ex multis selegi, tum ob morum instructionem tum ut magis magisque probem & demonstrem assertionem

 meam

meam, nempè omni ævo & vbiq; fuiſſe Energumenos; adeòque nihil mirum ſi dicamus adhuc hodie tales eſſe: Interim relictis ijs qui ob peccata ſua fuêre obſeſſi materiam noſtram proſequamur.

CAPVT IX.

Quòd ſequentibus ſæculis, ad noſtrum vſque, fuerint plures Energumeni.

TAnta ſe offert vbique Energumenorum aliorum copia, ut neſciam à qua parte inchoare velim; quia tamen cap. ſuperiori mentionem S: Bernardi feci, ad illum redeamus, & videamus, an ſuo ęvo Energumenos habuerit: certè numerus eorum, quos ipſe à Dęmonum tyrannide liberavit tantus eſt, ut vix exprimi poſſit: Ecce aliquos ex innumeris tibi profero.

Ipſi in Eccleſia S, Ambroſij Mediolani, ad altare pro ſacrificio Miſſæ celebrando ire parato, adducunt filiam quandã Energumenã rogantq; ut ipſius miſereatur: vir ſanctus & miſericors. manibus ſuis iubet aquam ſuperinfundi, quam cùm puellę bibendam dediſſet, mox Dæmon abſceſſit: ita Bernardus Bonevallenſis Abbas: Ecce vides Mediolani Energumenam ab eo liberatam: Papiæ vel ut alij Cremonię idem fecit: res ſic ſe habet: cùm ibi degeret, Dæmoniaca ipſi adducta fuit; at Dæmon illicò cœpit viro Dei ſuperbè inſultare his verbis: non me de anicula mea pelles, porculos edens & braſſicos devorans: ad quæ humilis Bernardus, obſeſſam ad S. Syri reliquias iuſſit deduci: at ille factus inſolentior: non me Syrulus, non me Bernardulus ejiciet: reducta igitur

ad

ad eum filia ſic ille ſuperbum illum Dæmonem aggreditur: Nec te Syrus, nec Bernardus ejiciet: ſed Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & oratione ſe muniens, nequam illum ſpiritum cum magna omnium adſtantium admiratione, expulit: reverſam tamen ad ſuas ædes mulierem, Dæmon iterum obſidet, & iterum ab eodem expellitur, & ne tertiò redeat ipſius collo hunc exorciſmum appendit.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, præcipio tibi Dęmon, ne hanc mulierem ingrediaris. Hæc omnia leges in Surio tom. 4. fol. 802.

Quid ad hæc incredule & obtrectator, qui in his materijs totus es peregrinus, & defectu praxis, ac lectionis, cùm audis Dæmones exire, & redire, vel non credis, vel vitio Exorciſtarum adſcribis? ſed audi aliam mulierem Energumenam ab eo liberatam: Plurimis annis ſpiritus nequam mulierem quandam obſederat, nec hoc contentus, viſu auditu & loquelâ eam privaverat, faciem ipſius ita vitiaverat, ut non hominem ſed monſtrum referret: quid amplius? contra ipſum ſanctum virum, pedes, elevabat & percutiebat: ipſe igitur preces populi præſentis poſtulabat, & miſſę ſacrificium, ex ſua parte offerebat, & ipſam hoſtiâ ſignabat Dæmone interim magis magiſque in obſeſſam ſæviente, donec tandem adhibito exorciſmo, eundem exire coegit nec ſolùm dæmones obſidentes expulit, ſed incubos repreſſit & mirabiliter fugavit: accipe, inter alia unum ſed ſtupendum exemplum ex ſcriptore ipſius vitæ: Apud Aquitaniam mulier quædam ab incubo quodam per ſex annos, petulante laſciviâ vexata fuerat, quæ ad virum Dei acceſſit, & quæ paſſa fuerat, cum lachrimis enarravit, cui Bernardus baculum ſuum tradidit, & ut in lectulo ſuo ipſum poneret mandavit: Dæmon autem ex tunc ad cubile non audebat accedere.

dere &c. Ex hoc exemplo addiscant illi qui incubos dari negant quantâ ignorantiâ laborent hac in re dum defectu lectionis, & studij id non credunt, quod S. Aug. l. 15. de Civit. Dei cap. 23. Isodor. lib. 8. origin: Alex. Halensis 1. p. q. q. 78. D. Thomas Bonavent. Scotus Durand. Gabr. in 2 d. 8 Guiliel. Parisien. & moderni omnes Theologi indubitanter credunt, & tradunt, Quam doctrinam confirmant innumera vbique exempla, quæ incredulis omnia quę ignorant reiicientibus & reprobantibus ob oculos ponere possem, si ex professo hanc materiam tractarem, sed quia, per transennam illam dumtaxat attingo, ecce unum aut alterum exemplum ex auctore irrefragabili Thoma scilicet Cantipratano Suffraganeo dum viveret Camera. & Doctore Theologo.

Js igitur lib. apum cap. 57. n. 13. agens de Dæmonibus incubis ita scribit: incubos Dæmones oppressisse fœminas quasdam: alias venereis confabulationibus ad concubitum illexisse, in confessione pluries audivimus: notent ista verba increduli: & exemplum unum referens hæc subiungit n. 14.

Harum autem unam virginē in religioso habitu vidi, quæ cùm primò diceret nunquam se in concubitum consensisse, plurimùm admiratus sum, quo judicio hoc potuisset in anima non consentiente Omnipotens permisisse: credere ergò illi nullo modo volens, horrificis iuramentis virginē contestatus sum, & tandem ab ea violenter extorsi, ut cum maximis lachrymis & erubescentia fateretur se prius mente quàm carne corruptam & vide quàm occultū & mirabile judicium æquitatis: illa utiq; cùm posteà, quasi dolens ad mortem, & confiteretur cum lachrymis omni die nullâ tamen arte, vel studio, ab incubo potuit Dæmone liberari; ita ut nec ulla ei valeret crucis signatio, non aqua benedicta, non ipsa sacri Chri-

Christi corporis, ipsis Angelis terrifica Sacramenta, donec per annos multos oratione & jeiunio piæ Lutgardis, Dæmon incubus totaliter fugaretur: Hoc bene notent Confessarij si talis casus occurrat.

Notent hoc quoque increduli omnes & maximè Judices, qui sibi persuadere non possunt, Deum res tam fœdas permittere circa personas pias & religiosas: Lege eundem Authorem eod. lib. & plura eiusmodi exempla videbis: lege quoque Cæsarium lib. 3. à cap. 6. usque ad 13. & agnosces, quâm incubi isti fuerint frequentes, si non habes, ecce tibi exscribo unum, ex multis exemplum: is igitur eod. lib. cap. 8. hæc refert.

Bonnæ in Parochia S. Remigij ante paucos annos, Sacerdos quidam fuit Arnoldus nomine, filiam habens speciosam, quam nimis diligens, quia pulchra erat, propter juvenes, &c. ei custodiam tantam adhibuit, ut quoties ex domo exiret, in solario domus illam clauderet: die quadam apparuit ei Diabolus, in specie viri &c. persuasa misera & corrupta sæpius posteà Dæmone ad suam perniciem consensit; confessa est Patri, quod delusa esset à Dæmone & oppressa: tristis effectus Pater misit illam trans flumen Rhenum, sperans eam ex mutatione aêris aliquid posse meliorari, & ob fluminis interpositionem, ab incubo Dæmone liberari: transmissâ puellâ, apparuit Dæmon Sacerdoti, apertis vocibus ei Dicens: male Sacerdos quare abstulisti mihi vxorem meam? malo tuo hoc fecisti: & mox trusit eum in pectore tam validè, ut sanguinem vomens, tertiâ die moreretur. Huius rei testis est Abbas noster, testis etiam Gerardus Monachus noster &c. Quid ad hæc incredule, qui omnia quæ de Dæmonibus incubis audis, rides & tanquam fabulas rejicis? Si interim alios pro hac

 veri-

veritate testes requiris, lege Delrio lib. 2. q. 15. Malleum maleficarum p. 2. q. 4. cap. 4. & sequentibus. Item Simonem Maiolum in diversis locis. Vide apud Mengum in fuste cap. 17. Monialem quandam piam & castam quæ ab incubo nequissimo nullo modo potuit liberari.

Verùm sat de incubis hoc loco, aliàs latiùs, ad materiam nostram revertamur. Non solùm igitur tempore S. Bernardi plures fuerunt varijs locis Energumeni, quos ipse sanitati restituit; sed post eius obitum, ipsius Religiosi meritis S. patris sui idem præstiterunt: Cùm enim pontius Abbas Bellevallensis vidisset multa à suis Religiosis frustra adhiberi, ad obsessum quemdam à Dæmonis tyrannide liberandum, stolam quâ S. Bernardus in oblatione sacrosanctæ hostię uti solebat, obsesso admouit, & in virtute Christi, per sancti viri meritum, cuius stolam tenebat, Dæmonem expulit, prout videbis apud Wilhelmum Abbatem S. Theodorici in vita Bernardi lib. 4. Simile quid legitur in vita S. Bennonis Episcopi Misnensis, apud Surium 16. Julij: & Bredemb. lib. 5. cap. 54. ecce verba ipsius ex alio desumpta. Matrona quædam Misnensis Diœceseos prope Fribergam, nostrâ hâc tempestate, dæmonio arrepta, ad sepulchrum Divi Bennonis adducta, cùm nullis Dæmon exorcismis ab ea fugari posset, induta est tandem Divi Bennonis casulâ, & datus in manu Baculus Pastoralis, quo facto exclamavit Dæmon nunc tempus est ut egrediar, relinquam tamen hospiti meæ signum, quo mei perpetuò meminerit, moxq; aperto altero mulieris crure, terribiliter elisus est. Quid ad hoc obtrectator qui ignoranter nos carpis quòd albam obsessis nostris imposuerimus? vides quòd & ipsam Episcopi casulam isti Energumenę apposuerint & induerint, ipseque baculus Pastoralis in manu ipsius datus, idque

idq; cum magno fructu, quandoquidem dæmon ad contactum illius obsessam reliquerit? sed de S Bernardo satis superque. Videamus, an alij Sancti post ipsum energumenos habuerint, & eos liberaverint.

CAPVT X.

Quòd post obitum S. Bernardi, multi quoque ubique Energumeni exstiterint.

FLoruit S. Bernardus anno 1130, & obijt anno 1153; superest igitur nobis probandum, quòd sæculo sequenti & depost fuerint quoque Energumeni. Primò igitur hanc in rem profero S. Dominicum, qui floruit anno Domini ducentesimo & vigesimo supra millesimum: lege vitam eius, & illicò plures energumenos, quos à dæmonum tyrannide potenter liberavit, reperies. Ecce pauca ex multis: Existente eo Bononiæ, quidam conversus Frater à diabolo arripitur, & à Fratre Rainero, Dominico præsentatur, adiuratusque spiritus, dixit in eum se introisse, cùm præcedenti die, sine licentia, & absque signo crucis in Civitate bibisset: sed cùm signum ad Matutinum pulsaretur, dæmon se ampliùs stare ibidem non posse, dixit, quia Caputiati surgebant; & sic orãte Sancto, exire compulsus est. Hoc de Religioso. Accipe unum sæcularem: Hominem quendam pluribus vexatum dæmoniis, stolam collo ipsius imponens, fugatis immundis spiritibus, liberavit. Hæc Petrus de Natalibus. Audi tertium: Cùm sub concione eius, Dæmoniaca quædam exclamaret & præsentes omnes perturbaret, in nomine Jesu Christi, facto Crucis signo, spiritui præcepit, ut miseram relinqueret,

 quem-

quemadmodum & confestim reliquit. Vide cap. 9. lib. 2. vitæ ipsius.

Eodem sęculo vixit & floruit, anno scilicet 1265. Thomas Cantipratensis, de quo suprà, natione Brabantinus, professione Religiosus eiusdem S. Dominici, Condiscipulus S. Thomæ Aquinatis, auditor Alberti Magni, & ob eximias virtutes, posteà Suffraganeus Cameracensis: Lege igitur Opera eius, & inter alia libros de proprietatibus apum: ibi quoque plures energumeni sese offerent: si illum fortè non habes, ecce tibi aliqua exempla exscribo: Vidi, inquit, in Brabantiæ partibus, in Monasterio Cisterciensi, Monialem quandam religiosam valde, & vitâ puram, quam cùm visitarem, & eam, ut poteram, consolarer, subitò dæmon pessimus qui in ea latebat, per horam verba salutis ferre non valens, cœpit latrare ut canis, & hianti ore, & collo contorto, eversisque luminibus blasphemare; cui dixi: O miserrime, qui Dei laudibus cum bonis Angelis insistere noluisti, nunc canum latratus & bestias imitaris!

Hæc ille lib. 2. c. 57. n. 66. Ecce vides isto ævo Monialem piam & timoratam obsessam, noli ergo mirari, noli incredulus esse, si & hodie asseramus Moniales obsideri: sed accipe aliud exemplum, eodem cap. n. 67.

Vidi, inquit, & aliam in eadem terra mulierem possessam à dæmone, quam, cum rogante Religioso Presbytero, visitarem, inveni eam à dæmonis vexatione quiescentem, & sensatè loquentem ut sanam: tunc occultè, nullo advertente, versum Cantici Moysis in Deuteronomio, secundùm quod à Sancto quodam viro audieram, tertiò repetivi, ad provocandum dæmonium in obsessa: Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui: nec mora, mulier pallere cœpit labijs atque vultu, & duæ venæ in collo eius

lo eius, ad grossitudinem pollicis intumescere : tunc ego: quare (inquio) pessime vexare fæminam præsumpsisti? Et dæmon, mortuo, inquit, viro suo compassa, in subsidium animæ illius, contulit quicquid boni fecerat in hac vita, & ex hoc, nactâ occasione, vas vacuum mox intravi : cui ego: Mentiris miserrime, ex hoc enim, quod dedit, mediante charitate, cumulatum est bonum eius : Et ille cum cachinno : mendax, inquit, sum, nec mirum si mentior : Et ego: Estne illa tam pulchra, ut dicitur, cœlestis patria, quam perdidisti? Et respondit: In infinitum pulchrior, quam dicatur : Et ego: Vellesne redire ad illam, si posses? Et ille: vellem, inquit, ut possem, & me usque in diem judicij omnia excogitata supplicia pati oporteret : cui dixi: Et ego promitto tibi in periculum salutis meæ, si mendax inveniar, illam perditam gloriam recuperare te posse, si tantùm hoc dixeris: Domine Deus meus, peccavi, ignosce mihi : Et mox ille, contorto collo, exclamat horrificè: Domine Domine, cùmq; sępiùs hoc cum clamore valido personaret, nec ultra in verbis procederet (impossibile enim sciebam illi ut Deum suum Dominum recognosceret, & se peccasse fateretur, atque sibi precaretur ignosci) tandem subiunxit : Domine Deus Margaretæ (sic enim obsessa mulier vocabatur) Deum recognoscere suum Dominum indignatus : tunc ego: O infœlicissimè omnium creaturarum, superbia elisit te, & cœlo depulit : te redire inexpiabilis superbia non permittit: hec mora, confusus obmutuit, & post paucos dies, non tamen tunc, fæminam dereliquit. Hæc omnia velim à lectore bene notari : Et interim unus ex adversariis meis, cùm nuper dæmonem miseram filiam obsidentem, in crypta S. Petri, ijsdem verbis aggressus essem, & eundem Moysis versiculum ei exprobrarem, non dubitavit me carpere, & ignorantiæ

 insimu-

insimulare. Ex quo patet quantum mali ignorantia pariat, quæ passim & ubique homines audaces & temerarios reddit. Sed his omissis, audi tertium & terribile exemplum eod. cap. n. 68.

Erat, inquit, circa Cameracum Civitatem, quidam Hæreticus astutus valdè, qui metuens inquiri & comburi, &c. finxit se arreptum à dæmone &c. Et audivit quidam Clericus obsessus à dæmone, & ligatus, quòd Ægidius Boogris (sic enim vocabatur) ligatus poneretur in loco, subsequenti nocte idem obsessus Clericus divino nutu solutus est: Et aggregans mattas & stramina, atque Ecclesiæ scamna super ligatum Hæreticum cumulavit: ludum autem & furiam credens ille, dissimulat, quoadusque Clericus ignem de lampade ferens, comburere cumulum cœpit, & tunc Hæreticus exclamavit; ad cuius vocem expergefacti custodes, cum ignem extinguere niterentur, Clericus arrepto gladio &c. omnes violenter abegit & Hæreticum in igne combussit: nec mora, divino exacto judicio, Clericus à dæmone liberatus & plenè sospes apparuit. Hoc velim ab incredulis & detractoribus notari & perpendi: an credibile sit, quòd Deus impunitas toleraret filias illas, quas simulationis insimulant, si per tot annos obsessionem simulassent, cùm videant in hoc exemplo, quàm severè Deus puniverit illum qui se obsessum simulabat: interim advertant quòd ævo isto energumeni non defuerint: sed ne forte allegent Thomam Cantipratanum pro asserta veritate solum esse, ecce cum eo produco Cæsarium toto orbe celeberrimum, Ordinis Cisterciensis, qui eodem seculo floruit, & res memorabiles sui temporis libris XII. conscripsit: aperi & lege illos libros & passim, sed potissimùm lib. 5. plures energumenos invenies: si nec illum habes, ecce duo vel tria quoque exempla

ex eo

ex eo profero. Dæmon quidam, inquit, cùm hominem à se obsessum horribiliter torqueret, & diversis per os eius garriendo diversa responderet, dictum est ei à quodam ex circumstantibus: dic Diabole, si posses ad gratiam in qua fuisti redire, quid velles propter hoc laboris subire? respondit ille: si hoc esset in meo arbitrio, mallem cum una anima decepta descendere in infernum, quàm redire in cœlum: mirantibus omnibus, cur ita diceret, iterum hoc verbum respondit: quid de hoc miramini? tanta est malitia mea, ut non possim aliquid boni velle. Hęc ille, dicto lib. 5. cap. 9. qui sequenti cap. historiam alterius obsessi benè ab hac diversam enarrat: ibi enim leges dæmonem, hominem alium obsidentem, prout sequitur differentem: Si esset, inquit, columna ferrea & ignea, rasorijs & calamis acutissimis armata, à terra usque ad cœlum erecta, usque ad diem judicij, etiamsi carnem haberem in qua pati possem, me per istam trahere vellem, nunc ascendendo, nunc descendendo, dummodo redire possem ad gloriam in qua fui. Nec mirum quòd dæmones isti tam contraria sentiant, & dicant: Dæmon enim superior sciens propositionem sibi factam prorsus impossibilem, malitiam suam ostendit, alter verò, verbis quibus valuit, quantum perdiderit declaravit. Hactenus Cæsarius. Audi tertium exemplum.

Dum Abbas noster, inquit, anno pręterito, in Monte S. Salvatoris, juxta Aquisgranum, missam celebraret, finitâ missâ, oblata est mulier obsessa, super cuius caput cùm legisset lectionem Evangelicam de Ascensione, & ad illa verba: Super ægros manus imponent, & benè habebunt, manus capiti eius imposuisset, dæmon voce emisit tam horribilem ut omnes terrerentur: adjuratus ut exiret, respondit: nondum vult Altissimus: interrogatus quomodo intrasset, nec ipse respon-

respondit, nec mulierem respondere permisit: postea confessa est ad vocē mariti sui commotione animi sui dicentis vade Diabole, quòd intrare illum senserit per auriculam &c Vides verum, quod supra monui ex D. Augustino, & alijs authoribus, Dæmones interdum occulto Dei judicio, ita in corporibus, quæ obsident retineri & ligari ut egredi non possint, etiamsi velint

Vides insuper ex hoc exemplo, Dæmones non semper parere: adeòque signum certum obsessionis non esse petendum ex obedientia, sed ex alijs motivis, de quibus infrà; sufficit enim ad iudicandum aliquem idiotam, esse verè obsessum si mandata idiomate ipsi ignoto facta intelligat, quamvis illa non semper adimpleat: Vide alia exempla cap. 12. 13. & 14. eodem lib.

Item lib. 3. cap. 2. in quo leges fuisse quemdam obsessum, in quo dæmonium tam nequam erat, ut coram adstantibus improperaret, quæ per confessionem veram non fuissent tecta.

Quid ad hæc omnia incredule? vides quòd fuerint isto ævo Energumeni? quid ergò miraris? cur obgannis, cùm tibi dicimus multos quoq; esse hodie Energumenos? sed pergamus in hac materia, & videamus; an S. Franciscus Energumenos quoque dignoverit & liberaverit? S. certè Bonaventura in vita ipsius, hoc varijs locis manifestè confirmat. audi quid hac de re sentiat lib. 1. cap. 12. Ipse verò (Franciscus inquit) per diversas Regiones progrediens, evangelizabat ardenter, Domino cooperante, & sermonem eius confirmante sequentibus signis.

In virtute namque nominis eius, veritatis præco Franciscus ejiciebat Dæmonia, sanabat infirmos &c. Et enarrans quædam eod. cap. hæc addit: In Civitate de Castello, quidam

quidam furibundus & nequam ſpiritus quandam obſidens mulierem, à viro ſancto, obedientiæ accepto mandato, indignabundus diſceſſit, mente ſimul & corpore liberam, obſeſſam priùs fœminam derelinquens. Quòd autem poſt obitum eximiorum iſtorum Dei famulorum Dominici, & Franciſci, plures quoque Energumeni vbique fuerint, quos filij eorum ſpirituales liberaverunt, lege Chronicon utriuſque Ordinis, & mira pro hac veritate videbis: Si non habes ecce tibi pauca ob oculos propono. Magnus ille miraculorum patrator & mortuorum ſuſcitator Vincentius Ferrarius ex illuſtri Dominicanorum familia cuius ſuprà mentionem feci, inter varios Energumenos, quos liberavit, quædam filia præteriri hîc non debet: Hæc igitur ab immundo fornicationis ſpiritu victa & inducta, omnibus modis magnum illum veritatis præconem ad fœdos ſuos amores pellicere fruſtrà conata, tandem ſe ægram nequiter ſimulans, dictum ſanctum accerſiri, tanquam de ſtatu animæ ſuæ diſpoſitura, curat: ad quam ille bonâ fide accedens, & de qualitate morbi eam interrogans: tu, inquit Pater, mei morbi cauſa es; tu ſolus me ſanare potes; & è lecto exiliens, eum ad peccatum per vim attrahere tentans, nihil aſſequi potuit: videns igitur miſera illa filia ſe repulſam paſſam, tanto furore in bonum Patrem excanduit, ut domeſticos inclamans, ſe ab eo vim paſſam nequiſſimè finxerit: ad quæ verba, mox à dæmone correpta fuit, & horrendis modis ac cruciatibus tam diu afflicta fuit, donec ad eundem Sanctum, alijs Exorciſtis nihil efficere valentibus, adducta fuit, à quo, tandem, tum priùs liberata fuit, cùm dęmon cauſam ingreſſus, & filiæ nequitiam detexiſſet. Notent hoc omnes Judices, & videant quàm periculoſum ſit dictis & accuſationibus unius filiæ fidem adhibere: meminerint iſtius lectionis, quam no-

Deus in Scriptura reliquit : *Brevis omnis malitia super malitiam mulieris*, Eccl. 25. Sed de Ordine Sancti Dominici satis, audi quid de Sancto Didaco, S. Francisci filio, Ecclesia in festo ipsius canat.

Ad B. Didaci corpus surdi audiunt, muti loquuntur, paralitici sanantur, & ab obsessis dæmonibus dæmones expelluntur &c.

Ecce vides ubique isto sæculo energumenos : vis & videre eodem ferè tempore in Civitate Leodiensi ? lege nostrum Chapeauvillum tomo 3. cap. 9, ad annum Domini 1374 & leges non duo vel tres, sed tria millia istorum energumenorum, ex omnibus Germaniæ partibus Leodium affluentium, qui omnes, uno excepto, per Sacerdotes sæculares liberati fuerunt, de quo plura suo loco.

Quid ad hæc incredule ? Ecce tria millia energumenorum uno eodemque tempore, in Civitate nostra, & tu in animum tuum inducere non potes, modò esse aliquos, quænam istius tuæ incredulitatis causa ? aperi quæsumus, & te lubenter audiemus. Nos interim intentum nostrum prosequemur, & paucis absoluemus.

Innumeris igitur alijs omissis, quos & filij S. Dominici, & Francisci, eâdem tempestate, & depòst liberarunt, ipsæ sacræ Virgines & Famulæ Dei, plures quoque eiusmodi energumenos à dæmonum tyrannide eripuerunt. Ex plurimis tres tibi profero Sanctam Genovefam, Catharinam Senensem, & Brigittam.

Prima Turoni precibus suis plures dæmones ab obsessis expulit, prout invenies apud Surium tomo 1. in eius vita.

Secunda, non paucos quoque exire coegit, ut videre tibi licet, in eius vita apud Raynaudum, & ex illo apud Surium to. 4. ubi leges, quòd Seraphica illa Virgo, oratione, &

& ſigno crucis, ſæuum & crudelem ſuprà modum Dæmonem expulerit qui horrendos in miſeri cuiuſdam Energumeni gutture excitaverat timores.

Tertia authore eodem Surio to. 4. fol. 350, plures quoque expulit. & inter eos, proteruum quemdam & rebellem Dęmonem, facto ſigno crucis, à quadam miſera fœmina ejecit. Relictis igitur omnibus præteritis ſæculis, tranſeamus tandem ad præteritum, & hoc noſtrum, & probemus quòd aſſertio noſtra vera in illis reperiatur.

CAPVT XI.

Quòd præterito, & hoc currente noſtro ſæculo plures varijs in locis fuerint, modòque ſint Energumeni.

HActenus clariſſimè probavi, tempore Chriſti, & Apoſtolorum, atque etiam à morte eorum plures ſemper fuiſſe in omnibus terræ partibus uſque ad ſæculum præteritum, & hocce noſtrum, utriuſque ſexûs energumenos, reſtat probandum, quòd in illis plures quoque fuerint, & ſint: quod ſanè eò accuratius diſcutiendum venit, quò nonnulli increduli id pertinaciter negare non verentur. Licet igitur, pro hac veritate aſtruenda, poſſim incredulos ad ſingulas fermè Belgij Civitates deducere, atque in ijs plures energumenos demonſtrare, ſufficiet producere quatuor acta toti Belgio notiſſima, ex quibus meæ aſſertionis veritas eluceſcet.

Primò quidem, librum, cui titulus eſt. *Le Threſor & entiere Victoire de la Triomphante victoire du Corps de Dieu ſur l'Eſprit*

 maling

maling Belzebub obtenuë à Laon, l'an 1566. *au salut de tous. A nostre S. Pere le Pape Gregoire XIII. &c. à Paris, chez Nicolas Chesneau:* quæ historia etiam exstat latino idiomate, & illi titulus est, Bartholomęi Fay, Regij in Senatu Parisiensi Consiliarij, ac Inquisitionum Pręsidis Energumenicus.

Secundò, alium librum produco, qui in fronte hunc titulum præfert: *Discours admirable & veritable des choses advenuës en la Ville de Mons en Hainaut, à lendroit d'une fille Religieuse possedeë, & depuis delivreë, mis en lumiere par ordonnance de Monseigneur l'Illustrissime & Reverendissime Archevesque & Duc de Cambray &c, A Douay, de l'Imprimerie de Iean Bogart* 1586.

Tertiò, alterum, cui gallicè quoque titulus est: *Histoire admirable de la possession & conversion d'une penitente, seduite par un Magicien &c. conduite à la saincte Baume pour y estre exorcisee l'an* 1610. *au mois de Novembre &c. A Paris, chez Charles Chastelain* 1613.

Quartò, librum, cui gallicè titulus est. *La Pieté affligee, ou Discours Historique, Theologique de la possession des Religieuses, dittes de saincte Elizabeth, de Louviers divisé en* 3. *parties. Par le R. Pere Esprit de Bosroger, Provincial des RR. Capucins de la Province de Normandie A Roüen, chez Iean le Boulenger, prés le College des PP. Iesuistes* 1552. *Avec Approbation, & Privilege du Roy.*

Hos quatuor libros, qui disertè assertionis meæ veritatem continent, ab omnibus Exorcistis attentè & maturè legi velim, in quibus plurima documenta ad dæmonum expulsionem præstantissima reperient, quos si increduli & adversarij nostri vel obiter legere non graventur, in ipso limine errorem suum agnoscent, & in nostram sententiam ibunt: & quia fortè illos non habent, ecce singulorum exscribo synopsin.

Synopsis

SYNOPSIS LIBRI PRIMI.

HIc Liber continet hiſtoriam planè admirabilem, prolixam admodum: ſingula digna ſunt, quæ ab Exorciſtis omnibus memoriæ commendentur. Hęc hiſtoria contigit Laodini anno Domini 1566. & ſic habet.

Energumena quædam, dicta Nicolaa Laodini degebat, cui Dæmon in forma defuncti linteo albo cooperti, corpore & facie maternum Avum, abſque confeſſione mortui, referentis & tanquam horrendi æthiopis apparuit: ſeductor ille ac impoſtor loquens per os dictæ Nicolaę, dicebat graviſſimas ſe in purgatorio luere pœnas, eo quod vota, quæ vivens fecerat non exſolviſſet, in quorum compenſationem, petiit plures pro refrigerio ſuo celebrari miſſas, longaſque & remotas peregrinationes uti ad S. Jacobum de Compoſtella, tempore hyberno, & moleſto fieri: & quod mirum eſt, ſæpè coniuratus, affirmabat ſe eſſe Avum, ſe miſſum à Deo: & ut fidem dictis ſuis faceret, totam vitam Avi veriſſimè referebat, hæc benè notent Exorciſtæ, & numquam credant animas defunctorũ hominũ viventiũ corpora ingredi, ſed Dæmones illos fallaces & impoſtores, qui multos incautos (prout non ſemel vidimus) Exorciſtas, turpiter deceperunt: & de facto, impoſtor ille à perito Exorciſta mox detectus fuit, & ſe Dæmonem imò Belzebub confeſſus fuit. Inſuper addidit ſe ingreſſum fuiſſe juſſu Dei, ut ſe Diabolum eſſe demonſtraret, quod multi non credebant. Verum ut incredulis omnibus (quorum in illa Civitate magnus erat numerus prout & in noſtra videmus) apertè conſtaret illam vere eſſe obſeſſam, audiebatur ex ore Nicolaæ, una vox triformis, puta, mugientis tauri, latrantis canis, & porci grunnientis, quâ tres præcipui Dæmones illam obſidentes ſignificabantur

ficabantur:per taurum Belzebub,per canem verò Cerberus, crasso & obeso capite: per porcum Astaroth. Impius ille spiritus Venerabilem Eucharistiam, Ioannem album vocabat & ita appellandam hæreticos suos docebat: Verùm se fateri coactum inesse, Hoc, reliqua verò verba Sacrosancta omittebat: Hæc omnia & alia plura magis admiranda omnes audiebant & videbant, quibus tamen non obstantibus nonnulli increduli nostris simillimi meras esse fictiones non solùm credebant, sed liberè asserebant, qui tamen postea errorem suum agnoverunt (utinam nostri illos imitentur) quod sanè sperare audeo si hanc meam apologiam postpositâ omni passione, & præoccupatione attentè legant, meaq; argumenta & rationes quibus veritatem possessionis astruo. & objectiones quas contra illam producunt diluo, maturè ponderent: Et quia in illa Civitate (prout & in nostra) plerique usqueadeo increduli & pertinaces erant, ut nequidem suis sensibus fidem habere viderentur (vide lector quanta cæcitas ex pertinacia & incredulitate oriatur) Deus qui ab alto omnia videt, regit & gubernat, hanc obsessionis Nicolaę veritatem signis admirandis manifestabat. Audi ex mille, aliqua: miserrimum & afflictissimum obsessę corpus, erat in continuo & vehementissimo motu, absque ulla fermè respiratione & intervallo: caput horrendum in omnes partes, cum summis doloribus agitatum, & modò hanc in partem, & modò in illam inversum cernebatur: os fœtidum, & spumâ plenum horrendis modis aperiebatur; lingua versicolor, & horribiliter protensa, convolutaque in conum, & veluti cornu papyraceum, sæpiùs cernebatur: Episcopo Laodicensi ad omnia, latino idiomate, ei proposita & mandata, respondebat, & plerumque parebat: &, quod in admirationem omnes rapiebat, atque incredulos confundebat, ante

Venerabile Sacramentum , quod à dicto Episcopo vel ipsi applicabatur, vel ostendebatur , ad sex & ampliùs pedes in aërem, licet à 15 fortissimis hominibus toto conatu retenta, non solùm elevabatur, sed & ipsi, qui eam custodiebant. Admirare Lector , charitativi & zelosi istius, Joannis de Bours, Episcopi tanti , & Ducis Laodinensis Avisiaciq; Comitis bonitatem & oviculæ suæ amorem, qui exorcizandi onus tam difficile & arduum, cum suis Confratribus & Religiosis non detrectavit, sed tantis laboribus in illo perseveravit, ut vix quis credat, nisi centum & quinquaginta millia hominum pro testibus haberemus, qui & illius labores & omnia præmissa oculis suis viderunt , & auribus suis audiverunt. Utinam omnes Episcopi, Canonici , Pastores, & Religiosi, zelum hunc & charitatem haberent, non videremus hodie tam multos afflictos & derelictos, in miserijs suis gementes & plorantes, qui cùm verissimè obsessi sint, & tyrannidi dæmonum noctes diesque expositi , neminem tamen reperiunt, qui ipsorum misereatur, consoletur , & adjuvet: fœlicior certè in sua miseria fuit ista Nicolaa obsessa: ipsa siquidem invenit non solùm Episcopum suum, sed & alios plures ex Ecclesia illa Cathedrali Canonicos, Religiosos atque sæculares, qui eam non solùm noctes & dies, cum summo zelo & affectu exorcisarunt , sed insuper custodierunt, contra incredulos protexerunt, omniaque necessaria ipsi & custodibus suppeditarunt , & omnibus charitatis subsidijs sublevarunt. Sed de hoc primo Libro satis, transeamus ad secundum.

SYNOPSIS LIBRI SECVNDI.

Liber hic continet historiam unius Monialis Montibus Hannoniæ, Diœcesis Cameracensis , in Conventu nigrarum

nigrarum Sororum, per parentis imprecationem obsessæ, per plures annos & tandem operâ & industriâ Reverendissimi Archiepiscopi Cameracensis fœliciter, in balneis sacris liberatæ, ex cuius lectione, Exorcistæ ex una parte, plurima eaque utilissima documenta addiscent, ad munus suum ritè & cum fructu obeundum: ex altera increduli & adversarij nostri quàm malè & iniustè me propter usum balneorum toties reprehenderunt, & calumniati fuerunt: Primò siquidem, miseriam & afflictionem Personæ obsessę, in hac cognoscent & ad commiserationem nisi ferrea corda possideant, adducentur, & incredulitatem suam deponent: deinde videbunt magni istius Archiepiscopi & Ducis Cameracensis zelum & charitatem qui perpendens in corde paterno, quòd misera illa Monialis esset ovicula sua, adeòque curæ suæ à Deo concredita ei non solùm de Exorcistis providet, sed ipsemet onus illud arduum & laboriosum subit, in eoque usque ad plenam illius liberationem quantum ipsi licuit indefesso labore perseverat, præclarum omnibus Episcopis exemplum præbens, qualiter illi se gerere debeant si contingat oves suas obsideri, & Exorcistis destitui: Ad hæc addiscēt, qualiter dictus Archiepiscopus suos Exorcismos inchoet, prosequatur, & finiat, in quibus tota vis exorcismi consistit. Insuper, quòd misera illa obsessa ad omnia loca Civitatis deducatur, omnesque Reliquiæ eiusdem Civitatis, necnon locorum vicinorum, pro securitate eò translatæ, uti S. Adriani, Hermetis, Aldegundis, cum suffumigationibus incensi sulphuris, & rutæ benedictæ (quas increduli irrident) ipsi applicatæ fuerint, cum plurimorum Dæmonum expulsione: Et quod potissimum est, videbunt pag. 6. ad plenariam ipsius liberationem de consilio dicti Archiepiscopi, balnea ex aqua Gregoriana composita pręparari

parari, & in eis obſeſſam cum ſummo fructu immergi, quandoquidem maleficia per narès & os in magna quantitate ejiciat: quid amplius? videbunt illa reiterari, atque in eis, ipſam exorciſari, & totam ita immergi, ut nequidem caput appareat. Et ut agnoſcant adverſarij quantum errent, cùm ſancta illa balnea carpunt, agnoſcent uſum illorum, per S. Mariæ Magdalenæ viſionem confirmari, quæ energumenæ iſti in balneo exiſtenti ſeſe exhibet, eam verbis blandis conſolatur, erigit, & quod maius eſt, ſcriptum quoddam miraculoſum, cordi ipſius impoſitum educit, cuius tenorem gallicè ſcriptum, ex dicto libro exſcribam.

In nomine ✠ Domini noſtri Jeſu Chriſti crucifixi.

Par la malediction du Pere, à eſté ceſte enfant mis en la puiſſance du Diable, & ſeduite de luy en ſon enfance, lequel ie vous ay monſtré, mais par la puiſſance Divinne, laquelle ne meſle la malice de l'home avec l'innocence de l'enfant, & afin de magnifier la gloire en elle afin que la louange par tout s'extende, & la bonne garde de Marie Magdaleine, laquelle vous rend auiourdhuy Ieanne Fery, libre de la poſſeſſion de tous les Diables, la rendant auiourdhuy en la charge & nourriture, par la volonté de Dieu, de Louys de Barlaymont, Archeveſque de Cambray, en quel lieu, & place, là où qu'il ſoit, & ſera toute ſa vie, affin qu'elle fuſt affranchie contre les Diables, leſquels iuſques icy, l'ont vexé, & qu'elle fuſt apprinſe, & endoctrinée ſeurement en la loy de Dieu, en laquelle elle eſt ignorante, & comme ceſtuy qui doit reſpondre de ſa conſcience devant Dieu.

Vides quanti Deus animam unam faciat, quam multi nihili æſtimant.

Addamus aliqua, quæ adverſarij noſtri non minùs quàm uſum balneorum temerariè carpunt. In eo igitur libro denuò agnoſcent, quod in primo illis ob oculos poſui, Venerabile ſcilicet Sacramentum capiti iſtius obſeſſæ imponi, idque

que cum tanto dæmonum cruciatu, ut non solùm plures signaturas proprio Monialis obsessæ sanguine scriptas & firmatas ipsisque traditas, sed etiam 14. hostias consecratas ipsis ab ea traditas, cum particula Sanctæ Crucis, & partibus carnis eiusdem obsessæ, referre & restituere coacti fuerint, ut obtrectatoribus evidens fiat quantæ sit virtutis & efficaciæ applicatio illa Venerabilis Sacramenti, quam tantopere ipsi carpunt & reprehendunt. Videbis itidem in isto libro, quòd sint dæmones, qui facilè expelluntur, alij verò difficillimè: inter quos, fuit primarius illam obsidens, dictus Cornau, qui per exorcismos sæpiùs coactus, tandem aperuit causam sui ingressus, dicens, quòd quodam die, horâ decimâ de nocte, pater ipsius benè potus, uxori suæ occurrens prolem suam inter brachia gestanti, illam dæmoni devoverat, à quo tempore, semper illam obsedit, & tandem, anno ætatis quarto, possedit, seu in corpus ipsius intravit. Multa sunt & alia digna scitu, quę brevitatis causâ prętereo, ut ad tertium librum veniam, & aliqua pariter in eo annotem, ad Exorcistarum & adversariorum instructionem, qui in hac materia se valde parum versatos ostendunt.

SYNOPSIS LIBRI TERTII PART. I.

In hoc tertio libro, videbis non vnam tantùm Energumenam, sed plures, easque iterum Moniales, Magdalenam scilicet, Ludovicam & Margaretam, omnes ex familia S. Vrsulæ, cum alijs duabus, idque per maleficum.

In illa historia, res stupendæ reperiuntur, & vix credibiles, nisi authores doctissimos celeberrimosque Doctores, & Exorcistas peritissimos testes haberet, qui omnia viderunt audierunt, & scripto redegerunt, aut certè redigi mandarunt,

runt. Ex multis ecce tibi præcipuas excerpo Primò ipse Dæmon quendam pertinacem & incredulum Religiosum, plerisque ex Civitate nostra simillimum, acriter carpit & redarguit, & probat se verum Dæmonem, fidemque illis omnibus, quę vi Exorcismorum dicebat habendam esse p. 123. Ibidē idem dæmon disertè probat, quòd veritatem dicere possit, & de facto sæpius, coactus tamen dicat, quod ab ijs denùo bene notari velim, qui sibi persuadent ipsum semper mentiri, nec umquam fidem ei habendam: Certè ibidem omnia mysteria fidei clarâ & apertâ voce confitetur & prædicat, maximè corporis Christi, in Eucharistia realitatem. Et quod mirum est, in illa ipsum adorat, & verba ista sæpius repetit: Adoramus te Christe. Item asserit, quòd, extra Ecclesiam Romanam nemo salvari possit p. 243. Quod B. Virgo concepta fuerit absque peccato originali, p. 241.

De encomijs Sanctissimi Ioseph Sponsi eiusdem B. Virginis mira & stupenda eloquitur. p. 264.

De laudibus verò Sponsæ Iosephi usqueadeò præclarè disserit, ut nemo licet eloquentissimus plura effari possit.

Peccati damna, nocumenta, fœditatem, & enormitatem ita exponit & deducit, ut nemo id meliùs & disertiùs prę-stare possit.

De judicio extremo, & inferni pœnis ac tormentis miranda prorsus eloquitur. Ipsum Exorcistam ritum exorcisandi edocet ac instruit, eaque ipsi suggerit & tradit, quæ dæmones maximè torquent & cruciant. Jbi videbis dæmones cantantes tripudiantes & exultantes, propter incredulorum quorundam ut autumo, pertinaciam.

Ibidem dæmon asserit omnes socios suos, usque ad minimum, probè linguam latinam callere, sed non licere semper eâ uti, ideoque rogat, ut Græcè & Hæbraicè loquendi po-

 testas

testas sibi concedatur: hoc ab ijs benè notari velim, qui non credunt Personas ullas obsessas, nisi ita loquantur.

Et quod mirum est, ibidem videre est dæmones ipsos contra quosdam incredulos qui non credunt Ludovicam esse verè possessam, graviter commoveri, imò rogare & obsecrare, ut propter suam pertinaciam, cœci & claudi reddantur, sicque damno suo, credere discant. p. 345.

Hoc iterum velim ab incredulis quibusdam notari, qui neminem obsessum credere volunt, nisi signa quæ petunt, ipsis dentur, quasi verò Deus curiosè ipsorum voluntati parere teneatur, quando maximè plura alia dedit, quæ illud convincunt, si illa bene ponderarent & examinarent. Hæc ipsa Dæmon incredulis ibidem objicit, & eos hæreticis similes facit, legat lector hanc paginam & mirabitur.

SYNOPSIS PARTIS 2. *EIUSDEM LIBRI*

PRimò in *limine* leges 6660. Dæmones ex Magdalena egressos, idque per virtutem venerabilis Eucharistiæ, quam Exorcista manu tenebat, ipsisque Dæmonibus exhibebat, ut discas hoc medio uti contra quosdam rebelles spiritus, qui sæpè nec parere, nec exire volunt,

Ibidem videbis, septem alios Principes, istis egressis, remanere, ultra alios centum, qui modo exeunt, modò redeunt, Hoc denuò bene notetur. Item Belzebub per plures exorcismos jussus instantissimè ad interrogata respondere, parere non vult; imò se retrahit & fugit: nemo igitur miretur si dæmones filias nostras obsidentes, idem omninò iam sæpius fecerint.

Rursus videbis obsessam tempore exorcismi toto corpore tremere, ut discas quod tremor ille sit ferè obsessis, & male-

maleficiatis naturalis, adeoque ſignum vel maleficij, vel obſeſſionis quando in ægro vel afflicto notatur, prout videbis infra in documentis meis. Item quod omnes dæmones habeant quædam nomina quæ ſibi imponunt dum corpora ingrediuntur. p. 13.

Quod Lucifer, Belzebub, & Leviathan, tres primi fuerint in ordine Seraphinorum & Michael quartus. p. 15.

Quod dæmones ſinguli habeant particularia officia quædam, & ad vitia ſpecialia homines inducere tentent: v. g. quod Belzebub ad idem peccatum ſuperbiæ, Leviathan hæreſeos, Aſmodeus luxuriæ.

Quod habeant particulares in cœlo antagoniſtas & inimicos, Belzebub quidem Sanctum Franciſcum R. Fratrum Minorum Patrem & Fundatorem, Leviathan Sanctum Petrum Chriſti Vicarium, Aſmodeus Ioannem Baptiſtam, Balberith, S. Barnabam, alij verò Dominicum, alij Bernardum, alij Stephanum, & ſic de cęteris. Hæc notare volui ut exorciſtę id ſciant, jubeantque in principio exorciſmorum dæmones fateri quem ſpecialem in cœlis inimicum habeant eumq; per virtutes & merita inimici parere & exire cogant.

Ibidem referuntur omnes Principes chororum Angelicorum, qui cum Lucifero Creatorem ſuum reliquerunt, & miſere è cœlo ceciderunt.

Exprimitur prout & in alijs magna virtus & efficacia Venerabilis Sacramenti capiti energumenę appoſiti, contra quoſdam vel ſciolos vel ſcrupuloſos nimis, qui hanc praxim tamquam illicitam reprobant, ſed de hac re latius inferius.

Cur autem apponatur, ibidem habes; ut ſcilicet dæmon rebellis ad interrogata reſpondere, & veritatem fateri, hoc modo cogatur; ſed de hoc quoque plura in documentis meis ſeu inſtructionibus. Ibidem traditur praxis imponendi pœ-

nas dæmonibus, quando obedire recusant. Et ostenditur quòd & ipsi, & malefici ac maleficæ illis impositis gravissimè torqueantur, de quibus, infrà latiùs, ex professo.

Quòd malefici & sagæ tempore exorcismorum operâ dæmonum, sint sæpè circa templum, vel in ipso templo, maximè si energumeni sint tales effecti per maleficum: quod ab Exorcista notari quoque velim, ut illas, cum dæmonibus suis per signum crucis, fuget & expellat, prout infrà inveniet.

Ibi quoque videbis, quòd ignotas & abditas Reliquias detegant, & quorum Sanctorum sint, aperiant. Inter alia notatu digna, videbis quendam Medicum Doctorem, quibusdam ex nostris similem, supra modum incredulum, qui ut probet an energumena sit verè obsessa, se Sacerdotem simulat, his verbis: Si tu es Belzebub, ego sum Pastor proximi pagi, & venio ut te exorcizem: ad quæ ille: Si es Sacerdos, accipe stolam, & ostende mihi coronam; & ulteriùs, cum maxima increduli istius confusione; tu, bone vir, non es Sacerdos, sed unus ex illis, qui quos possunt sanant, & quos non possunt relinquunt. pag. 71.

Ibidem famulus Patris Romillon Exorcistæ, dæmonem absque mandato, stolâ ligare volens, accipit bonum colaphum, ut discant sæculares non nugari circa dæmones, nec illis imperare. Infrà, audies maleficiatos omnes dæmonem sibi alligatum habere, qui maleficium impositum conservat. p. 85. Quod ab Exorcistis benè notari velim, ut dæmones tales debitis exorcismis à corpore recedere cogant.

Hæreticum prorsus ignotum inter alios ambulantem detegit his verbis: Intret bonus ille hæreticus p. 78.

Ibidem videre est, quòd digiti Sacerdotis consecrati ori energumenę appositi, dæmonem graviter torqueant, his verbis

verbis : *Au diable soyent les doigts sacrez qui me font tant endurer des peines.* Vides, quòd dæmon iste & hîc & semper Gallicè loquatur, nunquam latinè & quòd interim nullus, nisi pertinax & temerarius, de obsessione huius obsessæ dubitet.

Ibi etiam videbis, quanta sit inter omnes dæmones discordia, & inimicitia, qui se invicem accusant, irrident, contemnunt, & detegunt.

Denique multa alia scitu digna, quæ brevitatis causâ prætereo, & Exorcistis perquàm utilia, ibidem reperies, ut propterea illum librum dictis Exorcistis familiarem reddi vehementer cupiam, cuius lectionis, & similium defectu, multi, qui in alijs scientijs excellunt, sæpè turpiter errant, prout quotidie videmus, & experimur.

SYNOPSIS LIBRI QVARTI.

Hic Liber stupenda prorsus, & vix credibilia continet, nisi ab Authore fide dignissimo, & teste omni exceptione majore emanarent. Cùm autem omnia hîc referri non possint, ecce pręcipua ex illis, quæ assertionem meam, & doctrinam infrà positam abundè probant

Primò enim, in eo videbis 17 vel 19. Moniales, pias & devotas in unico Conventu, verè & realiter possessas, seu energumenas, alias verò obsessas, & maleficiatas, idque per maleficium, de quo infrà plura videbis, ex quo agnosces, me non abs re infrà tradere, dæmones in corpora hominum à sagis sæpè immitti, ac pias timoratasq; personas, licet Moniales, hoc modo plures ubique possessas fuisse, modoque possideri posse, Deo, ex causis nobis incognitis, id justè permittente.

Ad hæc, cùm audis tot Moniales in unico Conventu fuisse ob-

se obsessas, & miris modis vexatas atque afflictas, agnoscis contra quosdam, vel Athæos vel certè de magia suspectos verè dari sagas ab ijsque morbos inferri, qui remedijs naturalibus curari non possunt, prout infrà, contra quosdam incredulos & temerarios Medicos, abundè probo & convinco.

2. Videbis quòd licet dictę Moniales verè Energumenæ ab expertis Exorcistis alijsque probis & judiciosis Personis habeantur; id tamen aliqui Critici Scioli & increduli, vel apertè negent vel in dubium revocent, ex ineptis & ridiculis argumentis, ijsque prorsus similibus, quæ quidam Censores nostri Leodienses (quos hâc meâ Apologiâ suscepi) contra duas nostras Energumenas, semper in ore habent: Illi siquidem pręfatas Moniales ideò Energumenas negabant, quia latino idiomate non loquebantur, quorum ineptiam & crassam, hac in re, ignorantiam, dicti libri Auctor disertè admodùm refutat stylo gallico. Producant nobis, inquit, aliquod Rituale, vel Theologum, qui pro signo obsessionis illud signum tanquam necessarium requirat.

Rursus, probent, inquit, quòd ex omnibus energumenis, quos Christus sibi restituit, vel unicus, isto idiomate, aut alio inusitato, locutus fuerit. Addit, Sanctus Chrysostomus Stagirium Monachum, de quo fusè alibi, verè energumenum credidit, & tamen illud signum nec ipse dedit, nec ab eo requisivit.

Deinde, plures muti, verè energumeni à Christo liberati fuerunt, quos obsessos non fuisse dicendum foret, si ineptum illud argumentum subsisteret, incredulis hoc modo refutatis, demonstrat, quòd intellectio linguæ latinæ ab idiotis, (quales erant illæ Moniales) non minùs convincat verè illos esse energumenos, quàm ipsa locutio, atque ita, quòd

Critici

Critici illi, malè & ineptè locutionem requirant. Et pro ratione, addit: quia Ritualia & Doctores, alterutrum tantùm requirunt, adeòque uno, in Persona, quæ energumena habetur, verè reperto, fustrà alterum signum, frustraque alia signa quis requirat, quandoquidem illud unicum, plenè id convincat, quem discursum à me sępiùs infrà usurpatum; & verè solidissimum & urgentissimum, ab ijs benè ponderari velim, qui licet hoc signum in nostris energumenis clarissimè reperiant, alia tamen curiosa & vana, tanquam necessaria requirunt. Audiant eundem Authorem: an Critici & increduli illi homines, inquit, volunt, quòd energumeni pro signo obsessionis, tanquam aves volare videantur, vel quid simile faciant: si hoc fieret, nonne id per magiam fieri, nobis objicerent?

3. Refert argumenta verè inepta & absurda istorum Criticorum, qui videntes se convictos, ita tandem reponebant: Illæ Moniales non perfectè, nec integrè intelligunt linguam latinam, sed quandoque tantùm, ideòque per solam coniecturam, & quidem tunc dumtaxat quando ad vernaculam accedit; non verò, si eleganti & Ciceroniano stylo, Ecce ipsissimę obiectiones nostrorum incredulorum contra nostras obsessas, ad quas infrà cum præfato Authore fusè respondi, & ineptas prorsus atque ignaras demonstravi. In primis enim, ut author ille, utpote peritus Exorcista, nobiscum advertit, sæpiùs experti sumus vafros illos & astutos Spiritus, quantùm possunt, latitare, quando agitur de probanda eorum in corporibus habitatione, ut incredulos in sua pertinacia confirment, ipsosque Exorcistas & Energumenos suspectos reddant, quod summopere moliuntur, ut vim exorcismorum hâc viâ declinent, per quos gravissimè torquentur, prout quotidiana probat experientia. Quod apertissimè in

 dictis

dictis Monialibus visum est: Dæmones enim illas possidentes, quantumvis validis & fortissimis exorcismis, ab Authore, ipsoque Reverendissimo Episcopo Eboracensi, non rarò per tres & quatuor horas premerentur & urgerentur, ad respondendum & se prodendum, tamen nec respondebant, nec signum ullum dabant: & si interdum aliqua responsio eliciebatur, dicebant se linguam latinam non callere, vel aliter, & nihil ad rem respondebant: idque expresse, ut incredulos in sua pertinacia, prout ante dixi, retinerent, & deputatis à Regina obsessionem dubiam redderent. Verùm, Exorcistis (qui nequissimorum spirituum astutiam probè noverant) in suo exorcisandi officio, magnâ fide & zelo, per plures dies perseverantibus, coacti sunt tandem sese demonstrare, & ad pleraque mandata latino idiomate illis facta, perfectè parere. Quod solum signum ita Illustrissimum Archiepiscopum Tholosanum, aliosque omnes Theologos, à Serenissima Regina ad examen exorcismorum missos, ita confirmavit, ut dictas Moniales verissimè obsessas persuasit, ut nullum aliud signum requisierint. Quod à Superioribus, & illis, quos ad examen rerum similium deputari contingit, attentè notari & ponderari velim. Et ut Lector videat, me sincerè hunc Authorem citare & producere: ecce ipsius verba gallicè eleganter expressa.

L'intelligence d'une langue inconnuë, ne suppose pas moins, un principe & un hoste êtranger plus sçavant que sa prolation & enonciation; l'une non plus que l'autre, ne pouvant estre naturelle. Quid ad hæc scioli nostri, & Exorcistarum Censores, qui nullum agnoscunt Energumenum nisi Latinè loquatur? audiant illi quid (eodē Authore referente) incredulis illis Gallis dæmon ipse respondeat. *C'est beacoup, dit le Diable, que Dieu nous contraint de luy obeyr par le ministere de son Eglise, sans nous soûmettre, &*

aux

aux caprices des petits chiens d'hommes, qui nous appartiennent, pourquoy parler un langage étranger, puis que l'on voit la puissance de l'Eglise sur nous, qui dompte nostre force, & nostre rage par ses commandemens: est-il necessaire que nous proferions des parolles, que la fille ignore, quand on nous voit foudroyez par ceux qui nous exorcizent en langue inconnuë? Les effects ne parlent-ils pas assez, & mieux que les parolles?

Quid ad hæc iterum Critice & incredule? quid ad hanc Dæmonis rationem, tuam ignorantiam & ineptiam arguentis repones? licet interim dictum signum obsessionem plenè convincat, attamen præfatus Author alia quoque signa proponit, quæ sanè pro dignoscendis obsessis etiam plurimum faciunt.

Vires scilicet extraordinarias, motus insolitis, sed potissimum horribiles in Deum, Beatam Virginem & Sanctos, blasphemias, convitia in Episcopum, Sacerdotes, Exorcistas, alios astantes, dicta & facta meretricia impurissima, mutationes subitaneas & horrendas: Quis credat, inquit Moniales pias, timoratas, castas, modestas & verecundas, blasphemiarum quas audivimus, verborum & gestorum impurissimorum, quæ sæpè cum rubore audivimus & vidimus, totq; convitiorum & iniuriarum auctrices? quis credat illas, eodem tempore, Deum adorare atque invocare & simul blasphemare, petere à superioribus benedictionem, eosque humiliter revereri, & subitò omne genus convitiorum & injuriarum contra eos evomere? videat lector hunc Authorem p. 292. & seq. nec non cap. 7. tertia parte, & videbit, quàm meritò invehatur in Criticos & incredulos illos Gallos qui non obstantibus tot signis & argumentis credere nolebant dictas Moniales esse obsessas: Cùm autem ista omnia in duabus nostris obsessis plenè reperiri, omnibus qui

 exorcis-

exorcismis nostris Interfuerint, notum ei compertum sit, ut infrà latè demonstro, judicet lector an non justissimam quoq; contra incredulos nostros invehendi causam habeam, qui ijs non obstantibus, dictas nostras energumenas fictionis insimulant, nosque ipsos qui illarum innocentiam tuemur, carpunt, omnibusque modis molestant & infamant; sed cur conqueror? certè omnes persecutiones quas pro hac re, iam pridem patior, ille quoque bonus & zelosus auctor perpessus est qui idcirco ineptos & temerarios illos censores eleganti suo stylo ita interpellat: *Pourquoy est, que vous contredittes avec tant d'obstination à ceux qui se rendent defenseurs de telles possedées, & accusateurs des Demons? Avez vous douleur que l'on reprouve ces ennemis superbes, & leur magie? Il vous fasche peut-estre, que Iesus triomphe? Vous ne sçauries souffrir qu'il soit entierrement glorieux & vainqueur? Qu'il aime les siens? Qu'il ait par des simples creatures l'avantage sur des si maudites intelligences? Qu'en fin, Dieu confonde l'Esprit, la subtilité, le blaspheme, & l'attentat des Princes d'Enfer? Cela peut-il fâchez un Chrestien?*

Hæc zelosi illius Patris contra quosdam Criticos Gallos Invectiva æquissima, quam Ego pariter contra nonnullos ex nostris jure meritissimo usurpare possum: sed pro mea, & Exorcistarũ omniũ consolatione adjiciam, quæ hanc in rem ipse proponit: *Nous sçavons que les possessions, qui suspendent loing temps, avec raison, les esprits des doctes & des iudicieux, & qui sont la terreur des bons Chrestiens, l'admiration des simples & l'exercice des gens de bien, la risee des libertins sont suiettes à la cẽsure des foibles Esprits, qui condamnent tout ce qu'ils ignorent. Les Serviteurs de Dieu, qui sont employez à traitter ces facheuses affaires, ne sont pas exempts de la fureur des Demons, de la malice des Critiques, ny de la rage des Magiciens, qui les chargent d'opprobres & de mespris. Ils ont l'honneur d'estre traittez comme le Fils de Dieu, qui pour avoir*

avoir chassé un Diable du corps d'un homme, qui en estoit cruellement tourmenté, souffrit avec patience, qu'on l'appellast un des supposts de Belzebub.

Hæc certè consideratio, me in his contradictionibus & persecutionibus quas sæpè expertus sum, sæpè recreavit, & animavit, prout & illa Christi verba: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam quoniam ipsorum est regnum Cælorum*: Sed de his nimis. Audiant ex hoc libro Superiores & Iudices, quibus punitio & exterminatio nequissimarum istarum Sagarum, sub pœna æternæ damnationis incumbit, horrendas & execrandas earum impietates & Venerabilis Sacramenti prophanationes.

3. Ibi videbis, quòd Saga pessima quæ Dæmones in Monialium istarum corpora immisit, & maleficia fabricavit, sit una Soror conversa, ex ipsomet Monasterio de Louviers, nomine Magdalena, cognomine Bavan, filia inter omnes quas legi, longè sceleratissima & nequissima: audi aliqua, ex horrendissimis ipsius impietatibus.

4. Professionem suam Deo solemniter factam, revocat & se totam dæmoni, non solùm verbo, sed scripto sæpius reiterato, & proprio sanguine signato in æternum devovet, Deum, B. Virginem, & omnes Sanctos abjurat & Paradiso renuntiat.

5. His gestis, omnes modos tentat quibus Deo Creatori & Redemptori suo bellum indicat.

6. Et de facto Sanctissimas hostias consecratas numero 50. dæmoni tradit, quas horrendis actionibus in conventiculo Sagarum prophanat. Nec hoc illi satis: hostiam sacram ex sacrilego ore acceptam, in manu reponit, & in cubiculum reversa, ita Christum in illa contentum affatur, scio quidem & credo te Deum verum, ut agnoscas, quanto te odio pro-

ſequar, ecce te in terram abjicio; & conculco. Hanc eandem hoſtiam ad communem locum poſtea defert, de horrendis illis impietatibus gloriatur, & quantùm poteſt impijſſimè illam tractat.

7. Alia vice, hoſtiam quoque conſecratam ab impijſſimo & ſacrilego Sacerdote malefico acceptam, audaciâ pluſquam diabolicâ, acu pingit, & alia horrenda, quæ calamus ſcribere horret, committit.

8. Denique ipſam Sacram hoſtiam, impietate pluſquam Iudaicâ, cum alijs maleficis cruci imponit, & clavis affigit: quis unquam talia audivit? Ecce nequitia iſtius ſceleſtiſſimæ ſagę & ſociarum, quæ ſine lacrymis legi non poteſt. Perpendant hinc Iudices quanti criminis coram Deo; rei exiſtant cū monſtra illa abominanda patiuntur & tolerant.

9. Et certè tantam leges in hoc libro horrendorum illorum monſtrorum impietatem, ut Deus ipſe, morte horrendâ aliquoties punierit.

10. Imò tanta fuit nequiſſimę iſtius Magdalenæ monialis impietas, ut Dæmon ipſe, Deo cogente, eam detexerit, & accuſaverit, omneſque ipſius abominationes retulerit, eique ita improperarit, ut non habuerit quid ad illas reſponderet.

11. His viſis, agno ſces ibi vim & efficaciam exorciſmorum, quibus dæmones ipſius profeſſionem referre cogitur.

12. Deinde per eoſdem exorciſmos videbis qualiter ipſi Dæmones hoſtias Sacras referre cogantur, & ad omnia parere. Deniq; ut ad alia prętercam, videbis in primo libro admirandas dæmonum apparitiones in forma Chriſti, B. V. Angelorum, imò Confeſſarij, Abbatiſſę & ſororum, bonis illis monialibus factas, illuſioneſq; inauditas, quas Deo adjuvante & eas illuminante, detexerunt & fortiter ſuperarunt. Sed de

de hoc libro satis. Veniamus ad caput 12. & materiam nostram prosequamur.

CAPVT XII.

Assertionem Capiti præcedenti positam clarissimis exemplis probans & demonstrans.

POssem incredulos ad D. Virginem Lauretanam, Montis Serrati, & alias plures Ædes D. Virgini sacras, nobis dissitas deducere, ibique plures Energumenos, qui meritis eiusdem Virginis liberati fuerunt, ipsis exhibere, sed mihi visum fuit vicina dumtaxat loca lustrare, ibique veritatem meę assertionis ostendere, nec tamen omnia (longa enim mora foret) sed celebriora tantùm, quæ ad tria, uti Capite superiori feci, reducam. Primò igitur deduco illos ad D. Virginem Hallensem, in qua prætermissis pluribus ibi liberatis, unicum illis, & quidem ex Authore celeberrimo, Justo, inquam Lipsio, proferam, cuius verba, propter elegantiam ex Libro cui titulum fecit, D.V. Hallensis, cap. XI. transferam. Fuit Aldenardæ, in Flandria, Reinerus Wiligemius, vir mente & corpore validus: sed in quem ipso Assumptionis D. Virginis festo, malignus Genius irruit, & domum sibi fecit. Fremebat, spumabat, laniabat sese, & alios: fœda facies, & vel hosti miseranda: quid cognatis & amicis? illi consensu & voto, Hallas adspiciunt, tutelarem hanc invocant adversus notum, & sæpiùs fractum hostem: audit, adest, occultâ vi ejicit, & statim restituit sibi & suis, verè jam Reinerum & purum. O potens, ô benigna, nos

quoque

quoq; ab eodem fallaci ſerpente defende, & quæ caput eius ſemel in ſacra partione tua contriviſti .nè cauda nos flagellet aut ſternat,adiuva & indulge &c. Hæc vir ille pius:à V. Hallenſi,ad Aſpri-collem venio,ibiq; pariter ex eodem Lipſio inter varios energumenos puellam unam profero,de qua nō nimis eleganter in D. Virgine Aſpri-colli cap.41.diſſerit. Inſulas Flandriæ oppidum appellamus, mercatu & opibus celebre; in quo Catharina Buſia erat, ſed non pro nomine ſuo pura: malus Genius aut veriùs Genij eam ſedem ſibi arcano Dei permiſſu, legerant, ceperantque, & jam ab anno ætatis decimo ſexto tenebant. O puellę miſerias aut injurias! torquebant, diſtrahebant, geſtus motuſque fœdos aut ſupra naturam validos edebant, & ſæpè quini aut ſeni homines non erant coërcendæ,Quid,quòd Latinè,Græcè, Hebraicè loquebatur? Quid! quòd præterita & occulta edicebat, facta aliena, aut culpas? Et evenit,cùm duo milites (Helvetij erant)ſigna & caſtra deſeruiſſent ad Oſtendam,& in oppidū illud veniſſent, rumorem ſparſerunt de ea dedita & valdè affirmabant. Creduli Cives lætari,alius alij nunciare: ſed hæc interno ſuo auctore falſa dicere, & ampliùs addere: duos iſtos profugos eſſe, & ex oppido Novoportu argenteam thecam, Dominici corporis receptaculum, furto abſtuliſſe: rem ſic habere,inquirerent; ſeſe autem cogi ad vulgandū à magno(ita loquebatur)magiſtro: Inquiſiti comperti ſunt,& talia multa efferebat: amici ad Exorciſmos Eccleſiæ ſolemnes, rē deduxerant:ſæpè vſurpati & iterati ſunt: cum illo denique fructu,ut ſeptem Genij (tot ſe eſſe dixerant)ejicerentur ſed falsò dixerant, plures enim erant,quod res oſtendit: priuſquàm autem ejicerentur,dignum memoratu, per puellæ os acus multas effuderunt,item ſulphur,nūmum argenteum æroſum, clauum ferreum &c.palmarem.

Addit

Addit, Iterumq́ue adjuratus & adiurati de egreſſu, factu-*ros reſpondent*, idq́ue virtute & interceſſione Mariæ Aſpri-*collis*. Quo ſigno, inquit Exorciſta: vitream, inquiunt, fran-*gemus*: duo egreſſi frangunt: tertius vltimuſq́ue clauum fer-*reum* è pariete eductum in vitream projicit &c.

At ille in exitu altùm clamat, Vivat Domina Aſpri-collis, quæ egredi me cogit. Hæc iterùm Lipſius, qui Virginis potentiam extollens in hunc modum concludit: O quis ille malus Divæ vires abnuat, quas Princeps malorum Genius agnoſcit? Quid ad hæc Hæretice qui cultum D. Virginis irrides, illiuſq́ue invocationem, idololatriam reputas? Et tu incredule, qui non credis Energumenos eſſe, ſed aſſeris eſſe puras fictiones? quid ad hæc omnia repones? Si illa non ſufficiunt ad te convincendum, quid dices ad id quod refert Bredenbach. auctor celebris lib. 17. collat. cap. 37. quodq́ue Brabantinis ſatis compertum eſt, nempè apud Gheelam Brabantiæ ad D. Dympnæ reliquias, plures Energumenos ſingulari Dei beneficio, hactenus ſibi fuiſſe reſtitutos, modòq; reſtitui. Vade, & vide, adhuc ibi hodie plures reperies, & inter alios, unam Religioſam, prout, dum hæc ſcribo, ipſius Conſoror mihi retulit. Quid amplius? addit idem Bredemb. quòd pluſquam 60. orphani, pueri & puellæ 11, 12, 15 & 16 annorum energumeni viſi fuerint Amſterodami, anno 1566, qui furibundè per Civitatem diſcurrebant. Plures eiuſmodi tibi monſtrabo capite ſequenti in Germania; ſed ne caput hoc prolixiùs evadat, mittamus Flādriam, Hannoniam, Brabantiam, Hollandiam, & ad Patriam noſtram Leodienſem revertamur. Si incredulos ad noſtram Dominam Fidei deduxero, quot ille locus energumenos ipſis exhibebit? Si ad S. Hubertum Patronum noſtrum celeberrimum, quot ibi, ſummè Deus, & priſcis ſæculis, & hoc

noſtro, quotidie viſuntur? Audi unum inter innumeros ex R. Patre Roberti, S. T. D. ex Cœtu Societatis Jeſu. Fuit adoleſcentula, inquit, Magdalena nomine, nata annos 24. patriâ Baſtonienſis: Huic, improbo multorum more, damnatos Spiritus imprecatus Pater, nimis ſeriò quandoque evenire expertus eſt, quæ temerè & incogitanter, irâ imperante, effutiuntur: ſiquidem miſerandam puellam, non unus dæmon, ſed totæ duæ legiones atque inſuper duo ſupernumerarij invaſerunt, occuparunt, & tanquam rem ſuam inſederunt, tam opimam prædam, niſi à maiore coacti, minimè relicturi; ſed maior fuit S. Hubertus perpetuus Dæmonomaſtix, cuius vi Apoſtatæ iſti Angeli, quantumvis & numero & viribus præſidentes, poſt longam licet tergiverſationem, cedere coacti ſunt. Anno 1606. cœpta adiuratio, quo die Eccleſia omnium SS. Chriſtianos triumphos, ſolemni ritu colit, id eſt Kalend. Novembris, quo die, de tanto numero, duo dumtaxat ceſſerunt. Eodem menſe, die 19. unius legionis dimidium, & poſtridie reliquum: altera quæ reſtabat legio, tota ſimul cum ſuo Ductore, die 26. eiuſdem menſis, exorciſmorum fulmine perculſa, fugata eſt. Reſtabant duo cacodæmones omnium pervicaciſſimi, quippe qui totos viginti dies, reliquis jam expulſis, Exorciſtæ negotium faceſſiverant: ad extremum tamen & iſti æterno cum ſuo dedecore exturbati, puellam penitùs liberam reliquerunt. Hęc bonus ille Pater vir doctiſſimus Andavienſis, & in rebus Hubertinis verſatiſſimus par. 2. vitæ S. Huberti c. 3. fol. 257. Ex hoc exemplo & innumeris alijs videre eſt, quantùm defectu praxis & exercitij, Thyręus, & Sanchez, licet doctiſſimi, alijq; plures fallantur, qui dum hanc materiã tractant, credunt, & docent omnes dæmones ſimul egredi. Sed de S. Huberto ſatis. Si quæris in Patria noſtra, vade Verviam, & plures

plures quoque reperies hoc anno currente à R R.PP.Recol-lectis, & alijs sibi restitutos: Denique omnibus alijs locis, quæ prolixum foret referre omissis, si ad Ecclesiam nostram S.Mariæ de luminibus te deduxero plures quoque omnis ætatis sese offerent, qui meritis Sacratissimæ Virginis, plenè in ea liberati fuerunt, ut mirum sit inveniri aliquot tam in-credulos, pertinaces & temerarios, ut agnitam illam om-nibus veritatem inficiari non vereantur: Certè aliqui ex il-lis prout & alibi monui, aliàs docti eò audaciæ & levitatis (ne plus dicam) proruperunt, ut Personis fide dignis quæ mihi id retulerunt, asserere non dubitaverint, me nullum hactenus Energumenum aut maleficiatum liberasse: Velim interea bonos illos viros perpendere quod suâ eiusmodi in-credulitate, B.Virgini & toti Ecclesiæ gravem inferant in-iuriam, Hæreticisque plurimùm incogitanter faveant, cùm eiusmodi D. Virginis favores & gratias imò verissima mi-racula vel negant, vel in dubium revocant, quæ D. Virgini adscribimus, cùm Energumeni meritis ipsius, sibi restituun-tur sed his omissis: quia nonnulli in rebus hanc rem concer-nentibus toti peregrini non credunt Deum permittere, vt Personæ timoratæ, maximæ Religiosæ, à Dæmonibus obsi-deantur & vexentur, eos à tam crasso errore eripere sequen-ti cap. conabor.

CAPVT XIII

Quòd in pluribus locis, Personæ timoratæ imò Reli giosæ, sæpiùs fuerint, modóque sint verè & reali-ter obsessæ atq; ab incubis dæmonibus molestatæ.

QVamvis hæc veritas, per exempla sororis Magdalenæ, & Consororum, sororis Ioannæ Ferij aliaque supra re-

 lata

lata abundè probata existat visum tamen mihi fuit, speciale caput hac de re addere, aliaque plura exempla, ex authoribus probatissimis referre, ut ijs lectis increduli omnes, errorem suum & incredulitatem, tot testimonijs obruti & victi, tandem aliquando deponant.

Pro hac igitur assertione mea pleniùs probanda, deduco illos in Germaniam, & hanc illis veritatem exhibeo, ex Simone Maiolo Episcopo Wulturariensi in diebus suis Canicularijs v. Sagæ: Hæc pro fundamento ponit: Obsessis abundat Italia, atque Hispania, & descendendo ad quasdam particulares personas, plures refert obsessas.

Accipe ex pluribus aliquas, & Mulierem Dæmoniacam vir doctus, inquit, scribit à se, in Saxonia visam, nescientem legere aut scribere, quæ Græcè tamen & Latinè loquebatur, & sçuum illud Saxoniæ bellum prædixit.

Et prosequens hanc materiam: Narrat, inquit, Fernel. in lib. de abditis rerum causis se puerum vidisse Dæmoniacum loquentem Græcè, cùm tamen litteras nesciret.

Narrat idem Fernel. eod. lib. 2. quòd cùm non ita dudum, quidam per æstus nocte vehementer sitiret, è somno surgens potu non invento, obvium malum fortè prehendit id mandens fauces quasi manu præcludi strangularique sensit, simulque à subeunte Dæmone iam obsessus visus est in tenebris videre se à prægrandi nigerrimoque cane vocari: Ecce vides verum obsessum, & tamen ut addit idem Felmus Doctor celeberrimus, non pauci ex pulsu & calore & scabritie linguç eum febricitare ex vigilijs & mentis perturbatione simpliciter delirare non autem possessum esse iudicabāt. Vides qualiter hic Doctores errent? Tradit idem Fernel. juvenem alium equestris familiæ paucis antè annis varijs & occultis morbis laborasse quos pariter Doctores naturales

les censebant: hinc purgationes generis omnis cucurbitulas fotus vnctiones, emplastra aliaque medicamenta, adhibuerunt;his parum proficientibus ad balnea deventum:quibus relatis addit omnes longè aberramus à cognitione veri: nam mense tertio primùm deprehensus Dæmon quidam mali totius auctor, voce insuetisque verbis ac sententijs tum latinis tum græcis (quamquam ignarus linguæ græcæ) se prodens: is multa medicorum secreta detegebat, ridens quòd eos circumvenisset, quodq: irritis pharmacis corpus hoc penè jugulassent: ita Fernel. quæ à Doctoribus nostris, qui sçpè obsessiones irrident, & obsessos pharmacis suis liberare tentant, prout suprà monui, bene notari velim ut quando in morborum cognitionem devenire non possunt, ad Ecclesiam remittant, quod pauci ex ipsis parum observant: sed de hoc satis materiam nostram prosequamur.

Anno Domini 1536. Francofurti ad Viadrum Ancilla quçdam, inquit Maiolus loco citato, Marci Piscatoris filia, capitis doloribus, & quadam phrenitide correpta, fuit, quam misericordia motus, Civis Georgius in suas ædes recepit: tandem autem eò res cum ipsa redijt, ut à Dæmone obsessa res prorsus mirandas agitaret. Quidquid attrectaret, cuiuscumque etiam vestem, thoracem, barbam, caput inde monetam in ea Regione usitatam arripiebat, quam protinus ori ingestam, mandit & deglutijt &c. Historiam hanc eleganti carmine describit Georgius Sabinus lib. 4 Eleg. 4. Audi ex eodem aliam filiam obsessam, eamque timoratam & castam.

Anno, inquit, 1559. non procul à Joachimicis vallibus fabri cuiusdam filia pudicitiæ & honestatis laude excellens omnibus pietatis exercitijs sedulò vacans ex permissu Dei

 à Satana

à Satana circa Quadrageſimam obſeſſa fuit, ſæpè eam Satanas arreptam humo alliſit, non ſecùs ac ſi comitiali morbo infeſtaretur: quæ res mouit parentes ut apud eos, qui ex Pythonico ſpiritu incognita perſpicere, & futura creduntur conſilium quærerent: Per quod parentum facinus, potentiam ſuam, & confirmatam & auctam eſſe Satanas poſteà gloriatus eſt: circa feſtum Paſchæ, humanâ voce loqui ex Virgine cœpit Diabolus &c: varia atque ſtupenda ex Virgine locutus eſt unde magnus ad Virginem hanc factus eſt concurſus. Hæc Simon Maiolus, qui deſcribens aliqua notabiliora hæc addit: Lingua inſtar viminis contorti ex ore quanta palmi longitudo, protendebatur, capiteq; intorto, & in tergum reflexo, triſti & horrendo modo Satanas eam afligebat. Interrogatus quomodo in eam ingreſſus fuiſſet, reſpondit, in hauſtu cereviſiæ ſub ſpecie muſcæ &c. Ex eo quæſierunt pij Sacerdotes ex cuius juſſu ibi ſedem ſibi legerit? ex juſſu, inquit ille, Dei à quo miſſus ſum, ut corpus afligerem, ſed animæ nihil poſſum afferre damni, tum ut hominibus ſignificarem, ut à faſtu, fœneratione crapula, alijſque id genus peccatis abſtineant, & licet meo ingenio adverſum ſit hæc denuntiare, attamen à Deo juſſus id facere cogor: ita Maiolus. Vides, quòd Perſonæ timoratæ & caſtæ, etiam juſſu Dei, obſideantur, & quidem à centum Dæmonibus (nam Dæmon ille, qui per os puellæ loquebatur) ſe centeſimum dicebat? Rurſus verum eſſe quod ſupra monui, contra quoſdam, evidenter patet, octo ſiquidem ex illis centum, primò exierunt, deinde alij inſtar examinis muſcarum per feneſtram exierunt. Sed de Perſonis ſæcularibus ſatis; ad ſacras & Religioſas transeamus ex eodem Authore.

Recensentur quædam Moniales obsessæ, & ab incubis vexatæ, ex eodem Simone Maiolo.

NE increduli & advèrsarij exempla à me super hac re referenda in dubium revocare possint, Simonem ipsum Maiolum audiant dicto v. *Sagæ* p. 443.

Sacratæ, inquit Virgines, ab eiusmodi infestationibus Dæmoniacis non fuerunt immunes. Exemplum exstat de Virginibus in Cœnobio Kentorpio, prope veterē Marcam, in Marchię Comitatu, iuxta Hammonem, inclusis, quę monstrosis convulsionibus fuerunt exagitatæ: fœdissimū illæ halitum ore spirabant, & paulò post, ipsum paroxismum &c. Torquebantur alię alijs minùs; sed hoc commune omnibus prope erat, ut cùm ex eis una agitaretur, cæteræ quoque in seiunctis etiam cubiculis correptæ, solum tumultuantis strepitum audientes simili miserrimo modo vexarentur &c. Et paulò post: Diabolus non solùm eas multifariis convulsionum generibus torquere cœpit, sed incitare quoque, ut se mutuo morderent, cæderentque &c. Vide hanc historiam fusiùs apud Wier: lib. 3. cap. 10. de præstigiis Dæmonum, si tamen habeas potestatem legendi libros prohibitos: Audi ex eodem Maiolo alias Moniales etiam obsessas.

Sed & Moniales, inquit, occlusæ, in Comitatu Hornensi, diris modis à Dæmone sunt vexatæ &c: nonnullę incedebant tibiarum extremitatibus innixæ citra pedum usum: arbores quoque conscendebant ut feles, ab ijsque proserpebant, nullâ corporis immutatione. Vide quoque, si tibi licitum est, ut suprà, Wierium lib. 3. cap. 9.

Audi iterum eundem Maiolum ibidem: Haud dissimilia, inquit, Coloniæ passæ sunt Virgines Religiosæ, in Nazareth Monasterio occlusę, quibus hoc tandem accessit, quòd licet

annis

annis aliquot antea variè & multifariam à Diabolo vexarentur, convellerenturque, tamen anno 1564, præter aliud ſpectaculum horribili modo frequenter editum, proſternebantur ſæpènumerò deorſum &c. Anſam autem huic malo dederat quædam Gertrudis anno ætatis ſuę 14. monaſterio incluſa quæ ludibria hæc ſæpiùs diſſoluto cachinno patiebatur in lecto, licet amaſium ſingulis noctibus congredientem ſtolâ conſecratâ abigere conaretur Wierus lib. 3. cap. 11.

Et hanc materiam deducens prolixiùs idem Maiolus, hęc addit.

Virgo nobili nata loco, cùm ferventiſſimè adamati juvenis; ſed ignobilioris conjugio potiri non poſſet, reluctantibus parentibus, mœrore confecta, Dæmonem ſub ſpecie amaſij obviam habuit: à quo perſuaſa, D. Brigittæ Cœnobium, non procul à Xanctis ingreditur: ibi furore correpta, balabat, mugiebat, in ſublime rapiebatur, ſtrangulabatur: Id malum quodam veluti contagio, in reliquas derivatum Moniales. Wier. lib. 3. cap. 9.

Sed necdum Monialium obſeſſarum finis, audi & alias ex eodem Maiolo: Moniales inquit, in Heſimonte Neomagij Dæmonium aliquot annis infeſtavit, dormitorium noctu velut cum turbine ingreſſum, teſtudine cytharâque videbatur ludere ſuaviſſimè, ut ad choreas induci poſſent Virgines; inde canis inſtar, in vnius lectum inſiliebat, in quam muti peccati, quod vocavit, cadebat ſuſpicio: Wier. lib. 3. cap 9.

Vides in hoc Monaſterio Monialē habentē incubū dæmonem? Nec ſatis: Similia multa, addit Wier. ibidem, & longè graviora in eodem accidere Cœnobio, vivente Patre Paulo, audivi quæ uti ab illis celantur, ita & à me aperiri minimè decuit

decuit,qui addit:Novi aliud item non ignobile Collegium in Colonien. Provinciæ limitibus,vbi ante annos octo Dæmon canis ſpecie interdiu procurrens, conſcendensque ſub interiori Religioſarum Virginum indumento ſpurcæ velitationis indicia, veſtium motu oſtendere videbatur.

Ecce incredule, deduxi te per totum Orbem, & vbique ac omnibus ſæculis Energumenos vtriuſque ſexus omnis ætatis, ſtatus, & conditionis tibi demonſtravi, & inter eos plures Moniales, quarum nonnullæ etiam incubos habuerunt. Quid ergo miraris, cur obgannis, cur contradicis quando aſſerimus plures tales noſtris diebus fuiſſe & eſſe? An neſcis quot in crypta Eccleſiæ Collegiatę S. Petri exorciſati fuerint? an ignoras quid factum fuerit circa celebrem illam obſeſſam in Parochia S. Michaëlis? quid Antuerpiæ, quid Lovanij,Thenis, Namurci, alijsque locis vicinis, prout alibi monui? Da ergò tandem gloriam Deo & tot teſtimonijs victus atque proſtratus agnoſce veritatem, & errorem tuum corrige, crede inquam ſemper fuiſſe, modòque eſſe obſeſſos, & quia tales eſſe non credis, duas filias de quibus quæſtio eſt inter me & te, perlege attentè,& poſtpoſitâ omni paſſione, caput ſequens, omnes meas rationes maturè pondera atque excute, & videbis quantùm hactenus erraveris, quantamque iniuriam, omnibus modis & ſtudijs reparandam, piis, timoratis, caſtis & inſontibus filiabus intuleris, non ſolùm credendo, ſed cum omni ſecuritate aſſerendo, & tanquam certam veritatem ubique prædicando,quòd earum obſeſſio ſit dumtaxat fictio, & ſimulatio quo nihil gravius dici poteſt.

CAPVT XIV.

Quòd duæ honestæ filiæ, Catharina Belvaux, & Anna Henrote quas quidam increduli fictionis insimulant, sint verè obsessæ, adeòque longissimè à nefando simulationis crimine alienæ.

QUoniam multi sunt & Philosophi, & Theologi, qui defectu particularis studij, ad rerum, de quibus agimus, cognitionem necessarij, non perfectè norunt; in quo consistat obsessio, quidve ad illam requiratur, antequam caput hoc, quod est maximi momenti, aggrediar, illud discutiemus, & ex probatis authoribus, qui hâc de re, ex professo scripserunt, trademus. Statuimus igitur pro certo principio satis non esse, ut quis asseratur verè energumenus, quòd dæmon sit in eo, tanquam in loco; sed insuper necesse est, ut eum per semetipsum lædat, affligat, & vexet, aut saltem eum lædendi & vexandi potestatem habeat, cum modo quodam imperij & subactionis, manendo in ipso quasi in suo habitaculo: hæc assertio recipi debet ab omnibus Theologis, tam Thomistis, quàm Scotistis: cùm enim Thomistæ doceant Angelos esse in loco, per operationem, & non esse ubi non operantur: juxta autem Scotistas, esse in loco per suam substantiam, & esse sępè in loco, ubi non operantur, assertio nostra probatur: Dæmones quandoq; sagas aut maleficos per aëra portant, aut cum eis commiscentur, prout omnes hodie meliores notæ Theologi & Canonistæ, contra Wierum, & paucos alios admittunt, & tunc sunt in eis, ut in loco, & tamen non idcircò dicuntur energumenæ: similiter juxta mentem Scoti, sæpè dæmones latitant in corporibus

ribus hominum nihil operantes, qui non ideò energumeni dicuntur. Primò igitur, necesse est dæmonem esse in homine, ut dicatur obsessus, sed hoc non sufficit, ut suprà: requiritur ulteriùs, ut dæmon per seipsum immediatè eum cruciet & affligat: si enim illud mediatè tantùm efficiat, cruciatus eiusmodi & afflictio non faciet eum energumenum v. g. Quando dæmon in corpore assumpto, homini apparet, & morbos, vel dolores infert, istis morbis aut doloribus ab eo afflictus non potest dici obsessus: alioqui omnes maleficiati dicendi essent obsessi, imò & plerique Sancti, uti Sanctus Job, Antonius, Nicolaus Tolent. alijque plures, quos dæmones quandoque graviter verberarunt, & malè tractarunt. Contrahendo igitur totum hunc discursum, ad duas tresve lineas: Ut quis dicatur propriè & verè obsessus, duo necessaria sunt: primum, ut in ipso dæmon realiter existat; alterum, ut in eum sæviendi vel agendi, organisque ipsius, totoque corpore utendi obtinuerit à Deo facultatem. Ita Thyræus p. 1. cap. 2. Mengus in Fuste dæmonum, Polydor. de exorcismis, La Torre, & Delrio p. 1. l. 3. q. 4. sect. 7. qui hanc rem paucis expedit: Suppono, inquit, quod Catholicis notum est, energumenos sæpè à dæmonibus invadi, possideri, vel obsideri, hoc est, dæmones in hominum corpora ingredi, & simul potestatem aliquam eos vexandi, seu affligendi accipere: ambo enim requiruntur, ut quis sit energumenus, qua de re, doctè post Mengum & Polydor. Petrus Thyræus disseruit. Ecce vides Mengum, quem aliqui parvi faciunt, à Delrio citari. Hisce igitur præmissis assertionem meam probo sequentibus rationibus & argumentis.

Primò quidem, quia ista duo in illis manifestè reperiuntur: de secundo, ex centum millibus personarum, quæ exorcismis in Ecclesia nostra, in Sancto Huberto, Treviris, & alibi

 inter-

interfuerunt, nemo id negaverit, niſi ſenſibus quos habet, nō putet fidem habendam: ſtupenda enim & horrenda viſa ſunt, quæ non poſſunt niſi à dæmonibus fieri. Et quia prolixum foret ſingula enarrare, ecce pauca ex multis: In ſingulis fermè exorciſmis viſum eſt eas fremere, ſpumare, laniare ſeſe, veſtes conſcindere, capillos evellere, funes & baculos, quibus alligabantur, confringere: fœda illis facies, oculi illis terribiles, rabiem & furorem ſpirantes, lingua horrenda, quę inſtar viminis contorti ex ore, quanta palmi longitudo ſæpè protenditur, & in omnes formas vertitur, &, quod omnem naturalem facultatem ſuperat, inſtar cornu ita complicatur, ut liquorem quemcumque abſque effuſione continere poſſit. Ad hæc, videre eſt illas torqueri, cruciari, diſtrahi, agitari, geſtus, motuſque fœdiſſimos, aut ſuprà naturam validos edere, ut ſæpiùs plures perſonæ non ſint coërcendæ. Inter hos motus, audire eſt mirabilem in ventre luctam convulſionem, murmur, ſtrepitum non aliter ac ſi felibus catulis, aut porcellis foret refertus: & hæc lucta tam mirabilis & inaudita eſt, ut hoc unum, licet alia omnia deeſſent, à dæmonibus illas obſidentibus fieri convincat. Ad hæc omnia accedunt gemitus, ululatus & clamores tam validi & horribiles, ut in locis ad mediam interdum horam diſſitis audiri & percipi poſſint. Adde, quòd ſæpiſſimè guttur horrendè infletur, venæ inflentur, oculi modò claudantur, modò aperiantur, & ita invertantur, ut vix album videri poſſit. Ecce igitur ſecundum membrum ad veram obſeſſionem à dictis authoribus requiſitum, in illis manifeſtè probatum & demonſtratum. Quod primum quoque in illis reperiatur, evidenter probo, & demonſtro: Omnes authores, qui de certis ſignis obſeſſionis tractant, omniaque cum illis ritualia, in eo conveniunt, quòd inter obſidentis dæmonis ſigna, ſint

sint tria certissima & convincentia: Primum, quando Persona, quæ habetur obsessa, linguâ quam non novit, loquitur v. g. latinâ, grecâ, aut simili, maximè, diu, perfectè & cum connexione. Secundum, si saltem linguas illas, licet illis non loquatur, perfectè intelligat: hoc enim signum est tam certum quàm primum, & Persona quæ illas capere dignoscitur, verè obsessa convincitur, modò tamen cætera suprà relata, & inferiùs dicenda concurrant. Quomodò autem dignosci possit, an linguam ignotam intelligant, hoc duobus modis fieri potest:

Primò si mandata varia idiomate illis ignoto facta exequantur, potissimùm si nullam habeant cum ordinario connexionem: tunc enim argumentum certum est quòd linguam sibi ignotam intelligant.

Secundò, si perfectè ad mandata respondeant, etiamsi illa non exequantur, quòd an intelligant quilibet iudicare & advertere potest: quod ab illis benè notari velim, qui statim atque Dæmon non paret, obsessionem non credunt, vel certè, de ea dubitant. In quo vehementer errant. Quod manifestè demonstro: Imprimis enim nullus author, nullum Rituale requirit ad signum obsessionis obedientiam illam quam ipsi requirunt, sed intellectionem, quam certum est dignosci posse absque obedientia: illa duo enim inter se differre, & ab invicem separari posse indubitatum est: Deinde scire debent, Dæmonem non semper obedire, sed sæpè per plures dies & menses cogi debere, antequam obediat v. g. antequam nomen suum, causam ingressus, diem egressus, & similia quæ mandari solent, & debent dicat: Certè si ex obedientia sola dignosci deberent, id raro fieri posset: Addo tamen quòd bene quoque ab omnibus notari velim quod quando aliquoties paruit, id cuilibet sufficere debeat, etiamsi posteà

ſi poſtea non obediat: tunc enim habemus quod quærimus, habemus inquam, ſignum certum obſeſſionis, & tunc, probæ omnes ceſſare debent, & exorciſmi fieri in ordine ad expellendum Dæmonem: nec enim Exorciſta curare debet, ſi aliqui fortè non credant: ſi enim ad ſingulos incredulos illis probare oporteret, quòd Perſona quæ exorcizatur, ſit verè obſeſſa, nunquam foret finis. Ad hęc omnia, quando Deus coêgit Dæmonem per ſigna ſufficientia & certa, iuxta ea, quæ aſſignantur ab authoribus & Ritualibus, ſeſe demonſtrare & prodere, alia ulteriùs velle habere, & quidem, ad mentem ſuam & iuxta beneplacitum ſuum, eſt quaſi tentare Deum, & petere res ſuperfluas, vanas & curioſas, quod Rituale Romanum & Antuerpienſe expreſsè prohibent: Et quidem, quantum eiuſmodi ſignorum ſuperfluorum poſtulatio Chriſto diſplicuerit, ex eo patet, quòd ſigna à Judæis petita dare noluerit, quia nempe alia pluſquam ſufficientia ante dederat; quod rurſus ab omnibus notari velim. Sed his relictis, ad materiam noſtram redeamus.

Tertium ſignum obſeſſionis eſt occulta, & quę ſub ſenſus non cadunt, cognoſcere & propalare v. g. ſtatum bonum vel malum perſonarum, conditiones & qualitates, de quibus fuſiùs infrà agemus, quando ſignum iſtud obſeſſis noſtris convenire oſtendemus.

Et quia Rituale Romanum plus fidei, & auctoritatis, apud adverſarios habebit, quàm Thyræus, Mengus, Torres, Delrio Polydor. & alij, qui uno conſenſu aſſertionem noſtram docent, verba ipſius proferam in Præfat. de exorciſandis obſeſſis: ſigna autem obſidentis Dæmonis ſunt, ignotâ linguâ loqui vel loquentem intelligere, diſtantia & occulta patefacere; vires ſupra ætatem ſeu conditionem naturalem habere & id genus alia: Vides quòd intelligere linguam ignotam

tam ſit tam certum ſignum, quàm loqui, quod omnes incredulos bene advertere oportet, qui nullum agnoſcunt pro obſeſſo, niſi loquatur linguâ ignotâ; ſed ille error loco ſuo refelletur. Rurſus adverti & notari velim quod ſuprà monui, nempè, in dicta Ritualis Romani inſtructione, nullam fieri obedientiæ mentionem; quia nempe facilè cognoſci poteſt, abſque illa, an Perſona quæ exorciſatur, verè intelligat linguam ignotam. His ſuppoſitis, tranſibo ad ſequens Caput pro maiori facilitate & diſtinctione, & oſtendam imò convincam, quòd primum illud ſignum in filiabus reperiatur.

CAPVT XV.

Quòd primum ſignum, ſeu intellectio linguæ ignotæ, in filiabus ſuprà memoratis, perfecto modo reperiatur, adeòque quòd ex illo, pro verè obſeſſis haberi & reputari debeant.

POſſem hanc aſſertionem per plura millia teſtium, fide digniſſimorum, qui exorciſmis noſtris in Eccleſia noſtra, in Sancto Huberto, Treviris & alibi, interfuerunt, evidenter probare; ſed quia prolixum foret, omnia quæ pro hac veritate faciunt, ſigillatim referre, pauca ex plurimis eligam. Rogavit me annis præteritis Dominus Aman vir probus, & ſummè Catholicus Colonellus, ſeu Præfectus fortalitij Leodienſis, pro zelo quo in militum ſuorum converſionem fertur, ut datâ occaſione, energumenam unam ad dictum locum deducere non gravarer, ſibique militibus hæreticis præſentibus, exorcizarem, ſicque Eccleſiæ Romanæ poteſtatem agnoſcerent. Perpendens igitur quòd eiuſmodi petitio

petio tenderet ad Dei gloriam, Ecclesiæ veræ recognitionem & dictorum militum salutem, acquievi lubenter, & dictam Catharinam obsessam eò deduxi; cumque Capellam S. Balbinæ ingressus essem, ecce tibi subitò (rem miram, sed verissimam enarro) in ipso limine Capellæ, Genius Catharinam obsidens, ad linguam etiam non evocatus, se sistit, ridet, in cachinnos se effundit, exultat, manus huc & illuc vertit, ijsque nec non vultu, oculis, totoque corpore magna gaudij signa demonstrans: ecce, inquit, amici mei, Lutherani Calvinistę: ad quæ omnes obstupuerunt: sed maiora sunt, quæ sequuntur: Genium illum corripui, silentium ipsi indixi, frustrà illum gaudere exprobravi: hos milites in hęresi enutritos, brevi convertendos dixi(latinè omnia more solito) precibusque ordinarijs pręmissis, mandavi in nomine Domini Jesu, ut crucem quam gestare soleo, acciperet, Catholicis primò, deinde Hæreticis deosculandam præberet: præstitit omnia exactissimè, omnesque Hæreticos ibi præsentes ostendit, & à Catholicis discreuit: his cum stupore omnium peractis, ulterius præcepi, ut dictum Colonellum inferiùs cū innumeris alijs existentem quæreret, & crucem ei pariter osculandam præberet: paruit illicò, descendit, & præbuit, stupentibus omnibus, & genij illius cognitionem promptamque & exactam obedientiam vehementer admirantibus. Ecce igitur in his mandatis signa requisita ecce inquam, mandatorum latinè factorum perfectissima intellectio, illorum adimpletio, rerumque occultarum Hæreticorum nempe cognitio, discretio, & singulorum demonstratio: quæ omnia prout enarro evenisse Deum Opt. Max. in testem invoco: & si quis incredulus dictis meis fidem non habet, plures Sacerdotes & alios harum rerum testes, si opus fuerit producam. Quod ibi factum enarro, alibi pluries visum est.

In

In Monasterio Dominarum de Wivegnis, jussus idem *Genius*, ut inter omnes ferè Moniales, professione seniorem *designaret*; designavit. Item ut Recollectam Sacerdotem *à Laico* discerneret, fecit omnibus admirantibus: Quid plura? advenit non ita pridem ad Ecclesiam nostram quædam Domicella ex Hollandia ut Energumenas videret: vix limen attigerat, cùm ecce tibi subitò; improbus ille Genius: ecce me deformior intrat, hæretica, inquit, me nigrior, me tetrior, hæc verba altissimâ & terribili voce geminans & reiterans, idque tam importunè ut exorcismum interrumpere coactus fuerim dictamque Domicellam interrogare an revera talis esset quadem Genius ille publicè proclamabat: rē ita se habere annuit; pro excusatione tamen allegās quòd à Parentibus ita enutrita & educata fuisset: ad quæ Genius iste: hoc te non excusabit ô bona Domicella! sequere Catharinam, quæ Parentes tuis similes habuit, sed prudentior illis extitit: fidem Christianam amplexa est, fac idem & bene tibi erit: hæc tibi dico invitus & à Maria coactus, quæ si tu velis te salvabit: fœlix dies & hora, si hoc præstiteris Domicella: Si non, te in extremo judicio, coram divino tribunali accusabo, quod coactus tibi hæc salutaria exposuerim, parere renueris: Quæ & alia plura, secundò in ædibus nostris ipsi repetijt, frendens interea, gemens, ululans, & contra B. Virginem furibundo vultu insurgens, quòd talia isti Domicellæ indicare coactus fuisset, addens cum furore & rabie ineffabili: crudelis Maria, sęva Maria, cur animas istas nobis furaris & eripis? Prætereo horribiles blasphemias quas centies contra eandē virginē, omnibus attonitis, & non absq; indignatione & commotione audientibus, improbus ille genius evomuit & quotidie evomit. Quid ad hæc incredule? an illa fingi possint, & à Catharina supra modū simplici fieri & præstari?

Si hæc tibi non sufficiant, accipe alia, quæ illam verè obsessam prorsus convincunt. Omnibus qui Ecclesiam nostram frequentarunt, notum & compertum est, sæpissimè viduas à maritatis, cœlibes ab alijs dignovisse, & in signum istius crucem his dedisse, & non alijs, prout mandatum fuerat. Cùm igitur hoc à Catharina intelligi non potuerit, utpote latinè factum, nec discerni inter Personas quas nunquam vidit, quænam ex illis sint viduæ, quæ cœlibes, quæ conjugatæ, necessarium est, ut illa intellectio & discretio à Genio malo procedat; sicque plenè convincitur illam verè esse obsessam.

Accipe aliud, quod & hanc veritatem demonstrat. Interfuit aliàs cum multis Serenissimi Episcopi & Principis Nostri Aulicis, unus ex Cantoribus ensem gestans, quem in gradibus altaris deponere, pro maiori securitate jussus, exorcismo intrepidè interfuit, omnes Genij istius gestus & motus, aliasque stupendas actiones videns & perpendens: Cum autem circa aliam obsessam impedirer, repente nequam ille Genius cancellos benè occlusos aperit, ensem arripit, è vagina educit, illoque, me, omnibus trementibus aggreditur, & mortem minatur, timoremque incutere conatur: cuius minas contemnens, & in Domino pro quo munere isto fungebar, confidens, ita ego ad illum: si tibi cœlitùs mihi nocendi potestas datur, ecce pectus meum, percute, perfodi: ad quæ verba ille fremens, ensem summâ vi & furore in terram dejecit, & prope modum confregit: me, more solito, iniuriis omnibus proscindens: Ego verò ad illum: audi maledicte Spiritus: In nomine Domini Jesu, tibi præcipio, ut illum ensem contortum, in rectum & pristinum statum restituas; paruit illicò: mandavi ulteriùs ut illum in vagina reponeret: at ille: ubi quæram vaginam (illam enim

retro

retro altare abjecerat)? ad quem ego: ubicumque sit, quæras, & obedias: paruit & huic mandato, vaginam quæsiyit, & prout jussus erat, ensem in illa reposuit, sed ita promptè & expeditè, ut nullus miles, quantumvis in arte militari versatissimus, id celeriùs facere potuisset. Quid ad hæc iterum incredule? an hæc omnia à filia fieri possint? an tot & tam diversa mandata latinè facta, intelligi & executioni mandari? Si hæc illam obsessam non convincant, quid tandem convincere poterit? Sed nec huius tragœdiæ finis; postquam Genius iste ad omnia prędicta paruit, jussi eum unius Religiosi adstantis pedes deosculari, deinde meos, veniamq; insuper rogare: hæc & præstitit: rursusque veritatem aperire jussus, & interrogatus quis illum impediverit, quominùs ense illo mihi non nocuerit: dixit se à Maria impeditum & ligatum. Perpende interim incredule hos omnes discursus latinè factos ad quos pertinenter respondet: perpende hæc mandata, quàm diversa, quę omnia interim probè intelligit, atque executioni demandat, & in animo tuo judica, an illa non convincant esse verè obsessam? sed satis de Genio Catharinæ, audi aliqua de Annæ Genio; quia si omnia, quæ à septem vel circiter annis vidimus vellem referre, & charta & atramentum deficeret: innumera pariter ipsi latino idiomate mādavimus, quę omnia non solū probè intellexit, sed ut plurimum adimplevit, hæreticos extraneos nunquam anteà visos resq; alias occultissimas & in Ecclesia nostra, & in Æde D. Huberto sacra detexit, prout Exorcistis & Religiosis pluribus notum est: Accipe unum ex pluribus exemplum scitu & notatu dignum: Evenit ante aliquot annos, ut juvenis quidam strenuus eques exorçismis in Ecclesia nostra Parochiali interesset: quem Genius Annæ intuitus: Heu, tu, inquit, sex pedes habes, corpore pulcher es, non

 ita

ita anima, quæ nigra est, & maculata: ubi tuum scapulare, ubi tuum medallum? & alia id genus multa: his auditis territus & stupefactus juvenis Leodium rediijt, Confessarium adijt & Sacramentali confessione animam mundavit, atque die sequenti purior & securior ad nos reversus, exorcismis adstitit: quem Genius ille iterum intuitus: nunc, inquit, totus alius es, nunc mundus es, nunc scapulare & medallum habes, aliaque occulta protulit, quæ prolixum foret referre: hæc mihi, prout & alia multa exciderant, nisi soror ipsius in magno Beghinagio Bruxellensi domicilium habens (quæ nuper Leodium venit, & me invisit) in memoriam revocasset. Quid ad hæc incredule? an Anna potuit scire statum istius juvenis quem nunquam viderat, nec cognoverat? an maculas animæ, & sequenti die, sacrâ confessione abstersas cognoscere potuit? quis sanè mentis hoc asserat? sed satis de istis obsessionis signis, sequenti cap. alia demonstro.

CAPVT XVI.

Quòd omnia alia signa ab omnibus Ritualibus & Authoribus ad veram obsessionem requisita in dictis filiabus perfectè reperiantur.

CUm audissem quosdam Religiosos (quorum nominibus parco) liberè sentire, & affirmare, filias de quibus agitur, non esse obsessas, sed fictiones dumtaxat: tres ex illis, diversorum Ordinum, sigillatim conveni, aliquos solus, alios cum duobus doctis & probis Sacerdotibus, in ritu exorcizandi apprimè peritis: exposui illis causam mei adventus

ventus, & conquestus fui de illorum temerario eiusmodi judicio, & assertione; errorem multis rationibus & argumentis redargui, qui illis auditis, illum statim agnoverunt, pro excusatione allegantes, quòd meæ rationes sese latuerint; eam, quam dederant sententiam non daturi, si illarum cognitionem & informationem habuissent. Cùm verò reponerem eas omnes eo fine, scripto redactas fuisse, & ad R. D. Vicarium transmissas, ut in conferentia ad id instituta, publicè legerentur & ponderarentur, affirmarunt se nec eas vidisse, nec legisse, aut legi audivisse: cæterùm mirari se, cur sibi non fuerint communicatæ & exhibitæ. In hoc eos laudo, quòd veritatem cognitam non impugnent; verùm in hoc vitupero, & carpo, idque jure meritissimo, quòd ex ijs, quę semel viderant, absolutè censuerint & judicaverint, eas non esse obsessas, sed, ut suprà fictiones dumtaxat & puras simulationes. Quo quid inconsideratius & iniquius cogitari & dici potest? Sanè, si hoc modo judicassent. Ex ijs quæ vidimus, non censemus esse obsessas, nemo illis id vitio & temeritati vertere potuisset. Sed cùm aliquos ex ipsis in suo errore persistere audiam, præmissas rationes, quæ, ut suprà visum est, obsessionem earum clarè convincunt, censui reiterandas, & omnibus notificandas, ut Lector de illis judicet, & insuper, hoc caput præmissis adjiciendum, ne ullam sui erroris & peccati ansam prætexere possint: sequentia igitur ab illis bene ponderari velim.

Suppono itaque illos scire, quod Dæmones cum sint substantiæ spirituales, non possint à nobis per se videri aut cognosci, nec in corporibus hominum, quos obsident, nec extra illa, sed ex certis dumtaxat effectibus & operationibus, prout cap. superiori demonstravimus.

Signa igitur Dæmonis corpus possidentis & inhabitantis, quædam

quædam certam fidem faciunt, prout ſupra vidimus, cum eiuſmodi cognitiones & actiones ſæpiùs relatæ, neceſſariò ab aliqua cauſa provenire debeant (nulla enim abſque agente dari poteſt, ut Philoſophus docet & ratio dictat) non poteſt alia illarum cauſa allegari præter Dæmonem, maximè ſi ſigna alia concurrant, uti verè & manifeſtè in illis concurrere videmus & audimus, puta blaſphemias horrendas contra Deum, B. Virginem & Sanctos, eorumque reliquias ac imagines, odium rerum ſacrarum, uti Crucis, aquæ benedictæ, contra verò Prælatos, Religioſos, & Exorciſtas, dicta pudenda, & omnis generis iniurias, quas millies audivimus & quotidie, non ſine indignatione audimus: quis ſanæ mentis & bonæ conſcientiæ cenſuerit iſta turpia & execranda ab illis filiabus provenire? Certè ſi examinemus & indagemus, prout & à nobis & ab alijs, ad hoc à Principe noſtro Seriniſſimo deputatis exactè factum fuit, quæ & quales ſint iſtæ filię repertum fuit, & toti Parochiæ conſtat eſſe ſummè timoratas, pias admodum & devotas, utpote ſingulis propemodum diebus communicantes, vitæ exemplaris & caſtiſſimæ, Deo per votum perpetuæ caſtitatis conſecratas, & inſuper tertiarias ordinis S. Franciſci; in quem admiſſæ nullatenus fuiſſent ſi de vita & converſatione illarum vel minima ſuſpicio fuiſſet: Cum interim ex ore ipſarum millies audiverimus, & in dies ſingulos audiamus blaſphemias horrendas ſupra relatas, verbaque impuriſſima & ſcurrilia, omniſque generis injurias & inſuper actiones fœdiſſimas & obſcœniſſimas, quas oculi caſti & aures puræ videre & audire horrerent, quis crediderit filias iſtas harum blaſphemiarum, injuriarum & impuritatum eſſe cauſas & auctrices? Certè impij illi Genij nec Deo nec creaturis eius, licet Sanctiſſimis parcunt: Summè Deus! quis ſine horrore referat horrendas blaſphemias,

quas

quas ut sæpius repetij, contra Deum ipsum, B. Virginem (quam supra Deum sese aversari clamant) ipsosque Divos cælites quotidie evomunt? quis absque commotione & indignatione exponit quæ contra Ecclesiæ Prælatos ipsosque nostros Superiores, Religiosos, Presbyteros, aliosque quoscumque debacchentur, & quæ contra illos confingant; hoc experti sunt Reverendi Domini, ad illarum examen, à dicto Serenissimo Principe nostro deputati: Quis enarret, quot injurijs Exorcistas proscindant? quæ damna ipsis inferant? quæ contra illos fingant? Si omnia quę ab illis perpessus sum exprimerem, nescio, an lector mihi fidē haberet: Quis igitur nō miretur incredulorum pertinaciam, qui præmissis non obstantibus(quę norunt vel nosse possunt) non verentur sentire & palam asserere dictas filias obsessionem fingere & simalare? quis non miretur quòd ij qui pertinaces eiusmodi & incredulos homines coërcere & reprimere deberent, eos foveant atque protegant, & Exorcistis, miserisque filiabus sese inimicos & infestos exhibeant: Certè mali isti Genij tot & tantos, omnis status, & conditionis, contra nos suscitarunt adversarios, ut palam iactare & gloriari non vereantur, se nactos Leodij bonos causæ suæ advocatos & Procuratores. Hoc unum interim ab incredulis & adversarijs nostris quæro: Si credunt dictas filias obsessionē fingere, ipsasq; non verò malos genios, blasphemias iniuriasq; suprà relatas evomere, & gestus ac motus illos impurissimos causare, cur ferunt & tolerant res & actiones tam atroces, tam fœdas & horrendas? cur eas igne non cremant? si enim ab illis procedant, omnium pœnarum & tormentorum reę sunt. Si zelum Dei habent, cur pro ea qua pollent auctoritate, condignam punitionem non procurant? quid illos retinet nisi propria conscientia, quæ ipsis dictat in judicio suo errasse & deceptos

ptos

ptos fuisse, rationes meas & ea quę viderunt & audierunt, convincere filias illas esse verè obsessas, & ab omni fictione longissimè remotas. Quod ad me attinet, Deum in testem veritatis invoco, si fictionem, vel illius umbram advertissem, aut adverterem, cœlum terramque movissem ac moverem pro condigna, in quantum mihi liceret, earum punitione: sed absit à me, ut in re tanti momenti contra conscientiam meam agam atque procedam; & præmissis rationibus non obstantibus, in adversariorum sententiam eam, & pro vexatione redimenda, aut eorum amicitia & benevolentia mihi concilianda, filias fictionis & simulationis, cum ipsis insimulem, absit, inquam, hoc à me, ut hanc benevolentiam tam caro pretio, hoc est, animæ & salutis meæ jacturâ mihi conciliem. Si interim, quia id sentire & dicere renuo, adversarij me molestare, vexare, & persequi pergant, seseque infestos mihi exhibere; illud Christi verbum (*Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum*) mihi animos addet & consolationi erit: sed de meis rationibus & argumentis quæ filias verè obsessas meo judicio convincunt, audiant increduli, quid alij Exorcistæ docti & periti qui eas tentarunt, probarunt, noverunt, longoq; tempore in S. Huberto, & Treviris exorcisarunt, de vita earum ac conversatione, necnon de obsessione sentiant & judicent.

CAPUT

CAPVT XVII.

Quòd omnes Exorcistæ tam Regulares quàm Sæculares, qui dictas filias exorcizarunt, sentiant esse veré obsessas.

POssem fortè non obstantibus rationibus allegatis, ab adversarijs redargui, & pertinaciæ, aut præsumptionis, si mihi fidens, earum obsessionem tueri & sustinere solus attentarem, sed cùm habeam innumeros, qui idem mecum sentiunt,& inter eos viros doctos, & in materijs exorcismorum peritissimos, non mihi sed adversarijs, in hac materia peregrinis vitio verti debet, quòd suum judicium eorum judicio præferre non vereantur, qui energumenos ferè quotidie tractant & exorcisant, audiant igitur, quid ipsi de istis filiabus sentiant.

Iudicium Reverendissimi Domini Prælati S. Huberti, seu ipsius Religiosorum Exorcistarum.

BENOIST par la permission Divine, humble Abbé, Seigneur de S. Hubert &c. A tous ceux, qu'il appartiendrat, salut, sçavoir faisons: Qu'estans requis de par Vener. Mons. Nicolus De Borre, Curé de Nostre Dame des Lumieres en Glen, aux Faubourg de Liege, de donner certificat, & nostre sentiment, & celuy de noz Religieux, sur la possession de Iean Michel, jadis Laquais de Mons. Le Conte de Furstembergh, Catherine d'Opagne, Catherine Belvaux, Anne Henrote, & Agnes Dirickz, qui ont estez amenez en nostre Eglise, de l'Ordre de feu Mons. Le Grand Vicaire, à la requeste, pour ledit Iean Michel, de Mondit Seigneur le Conte de Furstembergh

ſtembergh, en compagnie de R. P. VVyer, Preſtre & Predicateur, de la Compagnie de Ieſus, & dudit R. Curé de Glen: En faveur de verité, Nous atteſtons, que toutes leſdites Perſonnes introduites en noſtre dite Egliſe, & y exercees ſelon les loix de l'Egliſe, & la ſainćte Theologie, ont eſtez trouvees reelement poſſedees du Diable, au moins, autant que l'infirmité du jugement humain, relativement aux dites loix, en a peu cognoiſtre, & comme tels exorciſez, ledit Iean Michel, plus d'un an juſques a ce, qu'il à eſté entierrement delivré, & renvoyé ſain & ſauve, les autres filles pareillement long temps exorcizees, & puis envoyees à Treues, oú l'une a eſté guarie, & l'autre beaucoup ſoulagee, & finalement, en apres en noſtre Egliſe parfaitement auſſi delivree: En foy de quoy (ſoubmettant neantmoins noſtre jugement à tous ſens plus eſpurez en ceſte matiere, & à noſtre dite Mere la ſainćte Egliſe) nous avons ſigné ce Certificat à S. Hubert le 29 de Novembre 1658. Et ainſi eſtoit ſigné, Benoiſt Abbé de S. Hubert, & d'autre coſté Bouillon, avec le ſeel ordinaire.

Quid ad hoc incredule? ecce audis iſtas filias fuiſſe à doćtis illis, & in ritu exorcizandi peritiſſimis Religioſis per omnia primò tentatas ac probatas, & tandem pro energumenis habitas, annoq́ue integro & amplius, exorciſatas: an tu, qui numquam vidiſti energumenum, nec exorcizaſti, niſi ſemel & brevi tempore, idq́ue taliter qualiter, fictionem quam illi anno integro laborantes non adverterunt, detexiſti? quis hoc abſq; riſu audiat? an illi omnes fungi, ſtupidi & cœci, qui tanto tempore non potuerunt deprehendere, quæ ſpatio unius horulæ deprehendiſti? quis hoc in animum ſuum inducat? perpende igitur quòd non ego temerarius & pertinax haberi debeam, ſed tu, qui judicium tuum tot & tantorum Religioſorum judicio præfers, eoſq́ue tacitè ſtoliditatis inſimulas, qui fictionem eiuſmodi detegere non potuerint.

tuerint. Sed audi aliorum ex eadē Domo Hubertina, Exorcistarū judicia & teſtimonia, qui dictos Religioſos in exorciſmis adjuvant, & ritum exorciſandi profitentur.

Iudicium Venerabilis D. Claudij Panthenay, Hubertini quondam Exorciſtæ.

DEo laus. Circiter quatuor ante annos, ad S. Huberti Limina, plures ac diverſi energumeni Leodio traducti ſunt: inter quos, Anna Henrote, & Catharina Belvaux, quæ ambæ pluribus ac diverſis modis, probiſve ab Eccleſiâ Catholicâ præſcriptis, ſolerter tentatæ & probatæ, tandem verè & realiter, tam à me, dicti loci Pœnitentiario, & Exorciſta ordinario, quàm à diverſis tum Regularibus, tum ſæcularibus Sacerdotibus & Exorciſtis, poſſeſſæ ab immundo ſpiritu judicatæ ſunt. Hinc ne quidquam prætermiſimus, quod ad earundem à tam infeſtis hoſpitibus liberationem conducere videbatur. Porrò ut aliis aliunde appellentibus obſeſſis etiam aliquid laboris noſtri impertiremur, tandem miſerandæ juſſæ ſunt ad lares remeare, quibus, ſi vacaſſet, diutiùs lubenti animo, laborem noſtrum impendiſſemus, tum ob probitatem, quæ ipſis ineſſe videbatur, tum afflictionis gravitatem, quâ detinebantur. Quapropter eaſdem omnibus commendandas eſſe cenſeo. Datum in Ædibus noſtris Paſtoralibus, ipsâ cinerum, 1659. ſic ſignatum Claudius Panthenay, Paſtor indignus in Jehouuille, Ducatus Buuillon.

Vide, & imitare incredule, boni iſtius Paſtoris & Exorciſtæ charitatem: perpende ſingula verba ipſius teſtimonij: ille, qui fuit anno integro & ampliùs, earum Confeſſarius, probas atteſtatur, tu, qui non ſemel vidiſti, eas improbas; ille

ille probis ab Ecclesia præscriptis utitur, tu ridiculis & profanis : ille omnibus solerter tentatis, verè obsessas, miserè afflictas & subsidio dignas testatur, tu verò, fictionis insimulas, & submersione dignas : judica in animo tuo, an illa tibi licent? & interim tertium proferam, à te bene notandum.

Iudicium Venerabilis D. Ioannis Massin, Exorcistæ Hubertini.

Comme il est juste & equitable, de rendre tesmoignage de la verité, & defendre l'innocence. Partant, moy soubescript, Atteste, & certifie en toute asseurance, à tous ceux qui les presentes voiront Qu'ayant par ordre expresse de feu Reverendis. Iean de Chokier, Vicaire de Liege, & du Seigneur Prelat de Sainct Hubert, exorcisees avec toutes les solemnités & forces de l'Eglise, l'espace de 14 à 15 mois honnestes & vertueuses filles, Catherine Belvaux, & Anne Henrote tant en l'Eglise dudit S. Hubert, qu'à Treues, pendant la monstre de la tres saincte Robe, en presence du Serenissime & Illustrissime Archevesque dudit Treues, sa Cour, & plusieurs Religieux, particulierement Capucins, jay trouvé & recogneu, avec tous les autres Exorcistes, ayant faict toutes les preuves qui se peuvent moralement faire, Qu'icelles filles sont vrayement & reellement possedees, & que nier ceste verité cest renoncer à ses sens, de sorte que tous ceux qui croyent le contraire, sont en grand erreur, & s'opposent à une verité notoire, palpable & recognuë de cent mille Personnes. Faict à Sainct Hubert, le 10 de Maye, 1659. Signé Iean Massin Prestre, & Chapelain de l'Eglise S. Hubert, & Exorciste deputé.

Quid ad hoc iterum incredule? vides qualiter hoc testimonium incredulitatem tuam carpat & condemnet; quantâque securitate, probis omnibus necessariis præmissis, obsessionem filiarum istarum affirmet, quas tu fictionis temerariè

rariè insimulas. Audi & quartum viri undequaque doctissimi, & ritu exorcismorum versatissimi.

Iudicium Venerabilis D. Henrici de Laloüe, Pastoris de Sartis.

A Tous ceux qui se presentes voiront salut. Si cest une malice noire, defeindre ou authoriser des fausses possessions d'esprit maling. Cest s'opposer aux desseins de Dieu, & ruiner les fruicts, qu'il en pretend tirer, pour sa gloire, l'honneur de son Eglise, & le salut des ames, que de nier ou obscurcir celles, qui estant veritables, ont esté accompagnees d'edifiants merveilles, & suivies d'une parfaite & asseuree delivrance. Certes la possession de quatre filles Liegeoises conduites à Treues, à la monstre, l'an 1655. par trois Exorcistes du Monastere de S. Hubert, a esté si publique, si certaine, & si manifeste, que cent milles persones en ont estez tesmoings: des plus habilles de la Cour, du Clergé des Monasteres de ceste Ville, en ont jugé, & les plus incredules en ont restez convaincus. Si que S. A. Electorale de Treues, qui a souvent assisté avec beaucoup d'attention, & d'edification, avec les premieres Personnes de son Chapitre, & de sa noblesse, aux exorcismes. Ayant recogneu la verité & cruauté de leurs possessions, les a fovorisees de toutes sortes de graces corporelles & spirituelles, leurs ayant ordonné fort long temps, toute leur subsistence, & celles des Exorcistes, de sa Cour, & l'ouverture & libre usage des plus sainctes & des plus cachees Reliques de toute la Ville. Ceste le tesmoinage que ie me sens obligé de rendre en faveur de ceste importante verité, & de l'innocence de ces bonnes filles, pour avoir travaillé moy-mesme, avec beaucoup de soing, & de circomspection, aux exorcismes sur elles, en la presence & par ordre de Sadite A. S. l'espace de 8 jours qu'elle ma retenu, pendant la monstre, dans sa Cour: où j'ay veu le mesme sentiment dans la Noblesse.

Faict au Sart, ce 2 de Decembre, 1659. Signé Henry De Lolouë Curé du Sart.

Quid iterum ad judicium & teſtimonium hoc incredule? audis centum millia filiarum iſtarum (quas probas & innocentes nuncupat) obſeſſionem credere & prædicare, audis Sereniſſimum Electorem Trevirenſem, eiusque Aulicos, Clerum, & Religioſos idem credere, idem ſentire, paucis exceptis, qui confuſi, & à veritate convicti, errorem ſuum confeſſi ſunt, & verè obſeſſas tandem agnoverunt. Cur ergò, his omnibus auditis, in tua pertinacia perſiſtis, & tot teſtibus te opponis? audio, habes, inquis, rationes quæ me retinent: ſed quàm futiles & parum ſolidæ ſint, ſequenti cap. tibi demonſtro.

CAPVT XVIII.

Quòd omnes incredulorum rationes & objectiones, contra filias, futiles ſint, ridiculæ & ineptæ, & ex harum rerum ignorantia procedentes.

NE mireris nec conturberis incredule, quòd rationes & objectiones, quas contra filiarum obſeſſionem allegas, ex ignorantia procedere aſſeram: hoc tibi evidens facio, & probo: credis ſufficere Exorciſtę, ſi Rituale Romanum aut proprium ſuæ Diœceſis habeat, legat, & ſequatur, ſed, pace tuâ, dixero: in hoc vehementer erras, & error iſte tuus in ipſo Rituali Romano manifeſtè continetur. Audi verba ipſius pag. 1, de exorciſandis obſeſſis: Vt ſuo

suo munere Exorcista rectè fungatur, alia multa sibi vtilia documenta ex probatis authoribus, & ex usu nosse studeat. Vides quod ultra documenta, quæ ibi habeantur, ad authores pro alijs necessarijs comparandis, Exorcistam remittat? Quæro primò à te an usum à Rituali requisitum, & prorsus Exorcistæ ad munus suum ritè obeundum necessarium habeas? certissimum est quòd non: si enim haberes neutiquam in hos errores lapsus fuisses. Quæro secundò? qui sint probati illi Authores, ad quos Exorcistæ remittuntur? Certè quòd ad me attinet (sit dictum citra jactantiam) licet usum perlongum habeam, utpote, qui plures Dæmones, Deo cooperante expulerim (quorum plures liberos, producere, possum, & innumeros maleficiatos (non obstantibus Medicorum nonnullorum, & aliorum calumnijs, qui, nescio quo spiritu id negant) cum Dei gratiâ à Dæmonum tyrannide liberaverim & perfectæ sanitati restituerim, licet, inquam, vsum atque experientiam habeam, & in rebus Theologicis adversarijs cedere nolim, quas antequam plures ex illis, vix nati forent docui, nihilominus adverti me parum, vel nihil ex S. Thoma, alijsque eius Commentatoribus, qui scholasticam Theologiam tradunt hausisse. Monitis igitur dicti Ritualis optemperans, recurrendum mihi censui ad eos qui materiam Dæmoniacorum, & Exorcismorum ex professo tractant: sed qui sint illi? dicam, si fortè adversarij modum Energumenos & maleficiatos dignoscendi, atque eos curandi, ex ijs addiscere velint: Authores igitur, qui præter historicos suprà relatos, & alios plures quos legi & perlegi, me docuerunt, & multa mihi hactenus ignota secreta tradiderunt (quibus proinde me devinctum fateor; sunt hi qui sequuntur) Petrus Thyræus, vir doctissimus ex Societate Jesu, qui materiam hanc accuratè admodum & exactè tractat.

Post

Post hunc, Martinus Delrio ex eadem Societate, vir quoque apprime doctus, multæ lectionis & studij, in his rebus versatissimus.

Item Thomas Sanchez in Decalogum lib. 2. cap. 42. in quo præclara documenta tradit, & Exorcistam doctè format.

Ex Ordine Minorum, reddidi mihi familiarem Hieronymum Mengum, virum multæ eruditionis, magnum, & peritum Exorcistam, quem meritò Exorcistarum Magistrum & Doctorem nuncupo.

Item Valerium Polydorum, ex eodem ordine necnon Institutiones Matthiæ Felisij Ordinis quoque Minorum.

Item Zachariæ Vice-Comitis documenta ordinis S. Barnabæ.

Item Petri Antonij Stampæ instructiones ex ordine Prædicatorum, plurima me docuit, & Exorcistas docebit, Raphael de la Torre S. T. Doctor Eximius. Præter hos, legi & perlegi Simonis Majoli Episcopi dies caniculares in quibus omne scibile invenies.

Item Iacobi Sprengeri, & Henrici Institoris malleum maleficarum, in quo omnia fermè reperies quæ hanc materiam concernunt.

Item Ioannis Nideri formicarium de maleficis.

Bartholomæum de Spina, sacri palatij quondam magistrum, de strigibus seu maleficis, eiusdemque apologias, de Lamijs, aliosque in malleo maleficarum comprehensos.

Item Michaëlem Psellum, in suo dialogo cum Marco, in quo multa quoque secreta reperies, cautè tamen legenda.

Item Remigium magnæ eruditionis virum, qui de Sagis doctè admodum disserit.

Cigognam Doctorem clarissimum in libro cui titulum fecit

fecit, magiæ omnifariæ seu universæ naturæ theatrum.

Denique ex latinis eruditissimum virum Petrum Binsfeldum, de confess. malefic. eiusdemque commentarium in titulum Codicis libri IX. de maleficis & mathematicis.

Item Petri Mamoris flagellum maleficiorum.

Nec solum latinos hos legi, ac perlegi, sed plures quoque Gallos: & inter alios, Petrum de Lancre Regis Consiliarium, in libro dicto, *Tableaux de l'inconstance des mauvais Anges & Demons*.

Item Henricum Bognet in libro nuncupato. *Discours des Sorciers*: in quibus libris mirabilia & stupenda reperies. Ecce libri præcipui, pluribus alijs omissis quos familiares iam dudum habui, & habeo, qui formant Exorcistas, & necessaria ad illud arduum ac periculosum onus ritè obeundum tradunt. Quæro candidè à te an libros istos, vel saltem aliquos seriò legeris? credo firmiter, quòd non: si enim eos vel à limine salutasses, omnes tuas objectiones in illis apertè & manifestè solutas & dilutas reperisses prout tibi demonstro.

Primò obijcis, Quòd fictas Reliquias filiabus admoveris, quodq; ad earum contactum dixerint se torqueri & cruciari idque cum vehementi corporum motu, & vocis clamore, ergò, inquis, sunt meræ fictiones. Resp. hanc objectionem ab Authoribus citatis, esse solutam, quos proinde te non legisse evidens & manifestum redditur; hæc sunt verba Mengi documento 5, Sit cautus in applicando res sensibiles Dæmoniaco: quia Dæmones cùm sint astutissimi, aliquando fingunt se timere talia, quæ verè aliquando non sunt Reliquiæ. Idem dicendum de verbis: fingunt enim se ad verba ludicra & prophana torqueri, & ad sacra & sacratissima minimè, ut persuadeant, maximè incredulis, se non esse Dæmones

mones, ſed fictiones ſicque miſeras Creaturas, quas verè obſident, liberè vexare, cruciare, & tentare poſſint. Has duas probas ſeu experientias feciſti, ideòque à Dæmonibus deceptus & irriſus fuiſti.

Obijcis ſecundò, mandavimus latinè, ut ad unam corporis partem v.g. ad brachium vel pedem dextrum tranſirēt, & tamen contrarium fecerunt: Cùm autem idem Gallicè mandavimus, ſtatim perfectè paruerunt, ergò non poteſt in illis ſubeſſe, niſi pura fictio, ſi enim inibi eſſent Dæmones, mandata noſtra intelligerent, & ad loca aſſignata tranſirent. Reſpond. ut ſupra, cùm probę iſtæ ſint vanæ, curioſæ & ſuperfluæ nec ab ullis Auctoribus traditæ, mirum non eſt ſi Dæmones vos irriſerint, mandata contraria fecerint, ſeq; non intelligere ſimularint attentâ maximè veſtrâ incredulitate ex qua vanis & inutilibus modis notam & compertam veritatem explorare tentabatis: cùm enim res quædam ſemel eſt cognita & aperta, incredulum ſeſe exhibere, & quærere ſigna alia, maximè curioſa & impertinentia, eſt tentare Deum, Judæosque incredulos, qui in omnibus, ſigna ſibi dari volebant imitari, nonne enim rationes, quæ pro hac veritate à me ſcripto, redactæ fuerant, quas illi, qui fictos illos, ne dicam prophanos & ridiculos exorciſmos coram alijs fecit, confictasque reliquias applicavit, conſtat notas fuiſſe, omne dubium tollebant? Si seriò, piè & ſanctè, atque iuxta formas à Ritualibus traditas, exorcizare volebat, cur modos licitos, vtiles, & probatos non obſervabat? quid igitur mirum, ſi Deo juſtè permittente Dæmon vos fefellerit, irriſerit, mandata ſpreverit, aliaque adimpleverit? Addo, quòd Dæmones corpora hominum obſidentes, non ſoleant Exorciſtis ad omnia ſedulò, & abſque mora parere, ſicuti famuli ſuis Dominis: ſæpius enim diu multùmq; illis

man-

mandavimus antequam obedirent: si scires quantùm crebrò, non solùm per plures dies, sed menses, sudaverimus, antequam se proderent, & ad linguam venirent, mirareris. Rursus hoc tandē improbo labore obtento, si nosces, quantùm laboraverimus, antequam nomina, causam ingressus, numerorum, sociorum, & id genus, similia scitu necessaria, scire possemus, non conquerereris de illorum Dæmonum contumacia & inobedientia.

Objicis tertiò Energumeni loquuntur Lat. Grecè, & Hæbraicè, ut nosipsi fatemur, & exempla suprà relata probant, filiæ illæ id non faciunt, ergò non sunt obsessæ.. Resp. iterùm hanc objectionem procedere ex ignorantia, & illius solutionem, in præfato Mengo, expresse haberi: ipsum audi Documento 2.

Adverte propter detractores huius artis, quòd Dæmones obsidentes corpora humana, rarissimè loquuntur Latine, hac de causa, ne credantur ibi adesse; & etiam, quia utuntur instrumentis naturalibus illorum, qui ab ipsis opprimuntur, & ideò Diabolus obsidens idiotam, non facilè respondet Latinè: nec obsidens Italum, facilè respondet Gallicè; quia lingua ad unum modū loquendi habituata, est illi obedientior, & ad motus illi placentes dispositior. Quid ad hęc tu, qui nullum credis Energumenum nisi loquatur Latinè: Quid ampliùs? idem Author in suo Compendio lib. 1. c. 9. asserit, quòd ex centum, quos vel vidit, vel exorcizavit, vix unus Latinè loquatur.

Cui per omnia consonat la Torre supra citatus in tract. de potestate Ecclesiæ fol. 169. his verbis

Sed adverte propter detractores huius artis, dæmones obsidentes corpora humana, rarissimè loquūtur Latinè, aut peregrinâ linguâ, ne scilicet ibi adesse detegantur, vides, quàm

bellè

bellè duo isti Authores, hac in re conveniant, & quàm meritò ij ignorantiæ arguendi sint, qui mox ut vident eos, qui exorcizantur, non loqui Latinè, statim asserunt non esse obsessos. Illorum argumentum aliquid efficeret, si sola illa loquela Energumenum proderet, sed ostendimus ex ipso Rituali Romano & Antuerpiensi, pręter hoc, superesse alia duo supra relata, quæ non minus probant & convincunt aliquem esse obsessum, quàm illud; quæ duo, ostendimus in nostris filiabus obsessis perfectè reperiri: & sic patet, prout diximus, quòd si hæc legisses, nec contra filias objecisses, nec objiceres.

Objicis, Quartò, istæ filiæ mendicant, nec laborant, ergò justam suspicandi causam habemus, quòd obsessionem fingant, ut hâc arte, intuentes ad charitatem commoveant, sibique de necessarijs provideant. Resp. illam suspicionem esse temerariam, nulloque jure & ratione fundatam: ostendimus enim filias istas, esse vitæ integerrimæ & castissimæ, sponsas Christi per votum perpetuæ castitatis, tertiarias, & inter cæteras virtutes, in magnis illis afflictonibus, cruciatibus & persecutionibus, patientiæ admirabilis, prout tota Parochia, fidem mecum facere potest, Deinde ut tales forēt, meminisse te oportuit triti istius axiomatis: Quilibet præsumitur bonus, donec probetur malus: Sed quomodo malas probabis, contra quarum vitam & conversationem nihil allegare posses? Ad hæc si mendicantes omnes mali & hypocritæ præsumi debent, nonne pauperibus gravem iniuriam infers? qui coram Deo cordium & renum scrutarore, plerumque divitibus meliores reperiuntur? Addo, quòd ostiatim non mendicant, instar cæterorum, sed à quibusdam Personis (quas te imitari oporteret) charitatem exiguam accipiant, id neutiquam facturæ, nisi sævi & lividi earum Genij, ipsique

ipsique morbi & cruciatus, ab illis illati, laborem manuum ipsarum impedirent, in quo dum vires permittunt, se assiduè exercent. Quód enim maligni quidam & perversi obtrectatores, sibi persuadent, & spargere non verentur, ipsas hâc arte fingendi multas conquirere sibi pecunias, quibus sibi genio lautè indulgent, & quarum me participem faciunt, est impostura execranda.

Objicis 5. fundamentum, ex quo credimus nos, illarum obsessionem certò probare & convincere, non est certum & solidum: quia, inquis, quòd linguam latinam, quoad multa intelligant inde fit quia mandata quæ à nobis filiabus istis fiunt, sæpè audierunt & memorię mandarunt, sicque non est mirum quod illa intelligant. Resp. objectionem illam esse ineptam, futilem, ridiculam, & meram cavillationem continere: Primò enim non solum fictionis & imposturæ iterum filias insimulat, sed meipsum quasi illis conviverem, instruerem, informarem, & quoddam cum illis pactum haberem, quo quid nequius & sceleratius & fingi aut dici potest? Ad hæc quæro abs te incredule, unde scias me semper eadem petere & præcipere, quandoquidem meis exorcismis nunquam interfueris? nonne temeritas extrema est, asserere quæ non vidisti, nec audisti?

Vide quantum cœcitatis: mille mandata ipsis præscripsi, & alij mecum, quæ nunquam audierant, & tamen illa adimpleverunt, prout vidisti supra in fortalitio, in cœnobio de winigius, & alibi: dic mihi in animo tuo, an ista cavillatio in his casibus habeat locum? ad hæc, nō notas, quòd hâc ratione memoriā Angelicam, & perfectā linguæ latinæ cognitionem simplicibus & idiotis filiabus ascribas, quæ interim rationem Dominicam latino idiomate nunquam addiscere potuerunt, prout RR. Domini deputati agnoverunt. Dic mihi obsecro, si

ſpatio tot annorum,non potuit addiſcere & memoriæ mandare tam brevem orationem, quâ ratione tot & tam diverſa mandata potuit? Deinde à biennio fermè, exorciſmos vix feci, quomodo ergo,quæ ipſas longo exercitio retinuiſſe tibi perſuades non exciderunt? Ecce igitur vides ut credo, quàm frivola & inepta ſit tua illa objectio, quam interim in corde & ore ſemper habes aliјſque ſuggeris & perſuadere moliris.

Objicis ſextò,ipſimet Rdi. Dni. ad illarum filiarum examen à Sereniſſimo Principe deputati,qui exorciſmis non ſemel, ſed pluries iam interfuerunt; non aſſerunt eſſe obſeſſas imo dubitare dicuntur, idque varijs ex cauſis.

Primò quia non obediunt ad ea quæ ipſis tam ſeriò, & ſub graviſſimis pœnis, præcipiuntur.

Secundò, quia non videntur plenè & perfectè linguam latinam ſtylo aliquo elegantiori prolatam intelligere.

Tertiò, quia præcepta quę illis eadem linguâ,ſed communi & trita aut gallicâ fiunt, melius intelligunt, & promptius illa exequuntur, quæ Dæmonibus utpote linguas omnes perfectè callentibus, quadrare non poſſunt, ergo ex illis rationibus colligi videtur, quod Dæmones quibus illa pręcepta fiunt, illas verè non obſideant.

Ad hæc omnia reſpondeo, prout ſequitur,

Primò quidem quòd ad dictos Reverendos DD. attinet an aſſerant eſſe obſeſſas nec ne, ignoro, quia necdũ judicium illorũ exquiſivi, nec exquirere intendo donec meos exorciſmos juxta commiſſionẽ ſerio,prout ſoleo,fecerim, quod nondũ ob varia illorumimpedimenta quotidie occurrentia feci.

Reſpondeo ſecundò ad rationes allegatas ex obedientia nòn bene colligi obſeſſionem, prout ſupra fusè & clarè monſtravi.

Reſpondeo tertiò Dæmones illos cautiſſimos & nequiſſimos

mos(qui probe norunt qua de causa fuerit instituta illa conferentia) omnibus suis dolis,fraudibus & technis , hâc in re, uti,ut possint latitare & incredulos in sua pertinacia & errore retinere: Vnde non est mirum si fingant se non intelligere ea quæ stylo elegantiori mandantur,alia verò quæ trito,communi & ad linguam vernaculam accedente fiunt, intelligere & obedire : interim Deus judex justus, innocentiæ protector & defensor,non ita permittit versutos illos & fallaces Genios latitare, quin etiam eos , quantumvis invitos & reluctantes, certa & manifesta suæ obsessionis signa dare cogat & compellat. Quod demonstro & ostendo aliquot exemplis, quæ licet nulla alia forent, intentum meum probant & convincunt : Mandavit Reverendissimus Dominus Suffraganeus, vel ego potius ex jussu & ore ipsius , ut Genius unam ex illis obsidens, toties terram ad pedem reversus, calcaret, quot erant Canonici in Sacello : paruit perfectè , & bis tantum pulsavit, quia plures Canonici verè non erant: hoc certè signum (supposito fundamento prius allegato) plenè convincit filiam esse obsessam : qualiter enim filia illa, eiusmodi mandatum latinè factum intelligere potuit? Addo aliud ibidem visum. Mandavit R. Dns. Henricus Dumont, Canonicus Leodiensis, & præses Seminarij,ut ad jndicem ubicumq; latitaret, compareret & in signum præsentiæ illum moveret: utrumque præstitit perfectè. Addit & tertium, scilicet ut attolleret, quod & prestitit : Quis mortalium dixerit tria hæc mandata ab una filia intelligi? Idem mandavit, ut pede terram bis & ter pulsaret, illud & fecit.

Ex his igitur patet, quod objectio quę habet,illos nulla in re voluisse parere, sit falsa. Interim verum est,quod ad pleraq; maximè curiosa,vana & superflua parere noluerint , sed hoc nullâ ratione probat non esse ibi Dæmones , aut rem suspectam

ctam reddit: primò enim, quando Deus post plurimorum hominum testimonia, etiam suum adjungit, cogendo Dæmonem, ut signa aliqua certa veræ possessionis exhibeat (prout verè exhibuit) id nobis abundè sufficere debet, sicuti suprà monui: nec enim signis eiusmodi pro voluntate Dei datis, alia pro nostra voluntate Deus dare tenetur. Vide de hac re plura cap. præcedenti.

Denique dico & resp. si velis filias, seu Genios illas possidentes nullum dedisse perfectæ intellectionis signum, graviter erras & falleris: ad omnia enim vel certè pleraque ita perfectè & ad rem, responderunt prout per inductionem probare possem, si opus foret, ut misera & deplorata illa dumtaxat & ad aliud nihil exceptio allegari possit nempe, filias mandata illis facta, intelligere, quia illa sæpiùs audiverint, quo quid futilius & ineptius objici potest? pudet me sanè, & piget objectiones tam ridiculas & pueriles referre, & rejicere. Hæc sunt interim, lector benevole, quæ increduli contra dictarum filiarum obsessionem, in corde & ore perpetuò habent: si fortè alia mihi ignota illis ad manus sint, proponant & allegent, & nisi eâdem facilitate, quâ jam allegata dilui, ea quoque diluero, clament victoriam, per me licet, me levem, temerarium, credulum & fungum proclament. Restat videndum & examinandum, quid contra me, mesque ritus, exorcismos & cæremonias in illis à me observari, & practicari solitas objiciant.

CAPVT

CAPVT XIX.

Examinantur, & reffelluntur argumenta, quæ increduli contra nos, nostrosque ritus allegant, & primò, contra vsum sacrorum balneorum.

VIdisti lector benevole, cap. superiori quàm futilia & ridicula sint, quæ increduli contra filiarum obsessionem allegant, exponam tibi hoc cap. quænam mihi objiciant: videbis quoque non dubito, quòd omnia sint eiusdem farinæ, & ex mera quoq; ignorantia procedant: audi & Judex esto,

Objiciunt, primò, nobis, sacrorum balneorum (quem interdum adhibemus, ad Dæmonum ejectionem, & maleficiatorum curationem) vsum objiciunt, inquam, nobis, eorum usū, tanquam superstitiosum, illicitum, inhonestum, & indecentem.

Resp. hanc primam objectionem iterùm ex ignorantia, & defectu studij ac lectionis procedere; si enim Authores, scriptores suprà relatos vidissent & legissent, balneorum sacrorum usum, in Ecclesia jam pridem, à magnis Prelatis & peritis Exorcistis practicatum fuisse comperissent: remitto illos ad historiam Sororis Joannæ Fery suprà relatam: illam legant, relegant, singula bene ponderent, agnoscent quid sint illa balnea sacra, qualiter composita, qualis illorum usus: quòd ij qui ijs utuntur, sint Canonici Ecclesiæ Metropolitanæ Cameracensis, viri undequaque doctissimi, idque de consilio Illustrissimi & Reverendissimi sui Archiepiscopi, viri singularis eruditionis: Ecce igitur Personæ quæ me usum balneorum docuerunt: quæro ab incredulis? quis unquam hanc illorum cæremoniam carpendam & reprehendendam putavit?

vit?

vit? sed nec illi balneorum Authores dici debent, legant doctissimum & toto Belgio celeberrimum nostrum Chapeavillum, tomo tertio annal. ad annum 1374. cap. 9. ibi videbunt rem miram, & sibi inauditam, tria scilicet millia obsessorum, ut supra dixi, qui omnes Leodij per sæculares Sacerdotes Exorcistas, uno dempto, liberati sunt, qui modis & remedijs omnibus frustrà tentatis non potuit liberari, nisi per usum balnei sacri: audi incredule, dictum Chapeavillum, loco supra citato, Quædam, inquit, puella dudum obsessa, per diversos Sacerdotes frustrà fuerat exorcisata, tandem Aquisgranum ducta, per Sacerdotem nomine Simonem, hoc modo fuit sanata: Sacerdos eam albâ sacerdotali induit, stolâque cinxit, & in vas aquâ benedictâ plenum, ad os usque mersit: his peractis conjuravit Dæmonem dicere, quanto tempore puellam obsedisset, respondit, biennio: rursus coactus dicere, ubinam esset, cum illa die Paschæ sacram sumeret Eucharistiam, sub id tempus, inquit, in extremos pedum digitos descendi &c. & postea addit: Coactus tandem exorcismo egredi, priùs ejecto per os puellæ nigro carbone, magno cum fremitu, & stridore abscessit. Quid ad hæc bone vir? ecce usum balneorum à 300 ferè annis: quis iterum eum reprehendit? an Chapeavillus? nequaquam sanè, sed potiùs hanc cæremoniam, eiusque fœlicem successum refert, ut Exorcistas illam doceat, illâque, si eiusmodi casus sese offerat, cum magna fide utātur: Si quid mali, vir ille doctissimus in illo ritu subesse iudicasset, profectò reprobasset, & interdicendum censuisset: Sed velim attendas, tu qui me tam severè carpis, quia balneis istis usus sum, quænam Personæ in illis balneis exorcisentur: videbis quòd utraque sit filia, & hoc ipsum, quod tantopere tibi displicet, in una inveniatur: albâ scilicet sacerdotali induta, stolâque cincta: Et nihilominus

minus, unus nuper dicebat, quis pudor imponere albam sacerdotalem filiabus? quæ indecentia? quid, & si casulâ induta fuisset, prout supra vidisti? Vides ergo quod tuę contra balneorum usum objectiones & quæremoniæ vanæ sint, & ex ignorantia procedant: si enim dictos libros legisses, nunquam os tuum contra nos aperuisses. Quòd autē ad inhonestatem & indecentiā attinet, quam etiam hac in re subesse conquereris, nequidem umbram illius reperies: nec enim illas nudas(ut quidam maligni & perversi calumniatores referunt) in illis balneis exòrcizavimus, sed honestis indusijs, & albis sacerdotalibus, in absentia nostra indutas & cingulo benè cinctas, prout Religiosi & Exorcistæ Hubertini, qui exorcismis interfuerunt, nec non Sorores Sancti sepulchri dictæ Bonæ infantes, testes oculati & oculatæ fuerunt.

Perpendant hîc omnes, & maximè Superiores, ut suprà iterum monui, quàm periculosum sit omni spiritui credere, & ijs, quæ ab Exorcistarum inimicis sparguntur, ijs non auditis fidem habere. Certè si sufficit detractores atque accusatores audire & nō accusatos, quis innocens, quis tutus erit? nonne hâc viâ omnia confundentur? nonne iniquus quisque triūphabit, & innocēs interibit? nonne jus omne evertetur? & tamen nō raro hæc fieri videmus. Hæc non absq; ratione profero: norunt enim Revendi Domini deputati quàm atroces imposturas contra me, & dictas filias quidam maligni homines confinxerūt, ob quę, non auditi, gravia perpessi sumus, graviora perpessuri, nisi Deus, innocentiæ testis & protector, illa, speciali providentia impedivisset atque divertisset: sed de his satis. Respondeamus & ad Medicos quosdam Exorcistarum inimicos, qui ritus nostros ferè omnes reprobant, & ipsum balneorum usum.

Quæro igitur ab illis, cur usum illum balneorum carpunt,

 quem

quem plerique medicinæ Doctores & Professores laudant, & approbant,& commendant: Delrio certè, La Torre, alijq; plures qui balneorum usum plurimùm laudant, testantur quòd ipsi Medici, ut dixi, illum probent & consulant: audi prædictum La Torre, pro omnibus, lib. citato p. 2. advertentiâ 2. pag. 173: Et propter eandem, inquit, causam quidam non inutile ducunt balneis uti, quia (ut aiunt periti Medici) morbi melancholici, quales plerumque sunt, quos Dæmon arreptitios conciliat, nullo auxilio magis, quàm balneis curari solent: cuius rationem reddit Delrio lib. 6. cap. 11. sect. 3. q. 3. quia per illa impediuntur, vel auferuntur dispositiones illæ, quibus Dæmones gaudent & utuntur. Quid ampliùs? usus balneorum expressè traditur & docetur in thesauro Exorcistarum, pag. 18. & 19. Quid ad hæc, tu, qui illos carpis, ecce vides quòd in isto balneorum usu, Doctorum medicinæ, & Theologorum doctrinam, Principumque Ecclesiæ exempla sequar: agnosce ergo quòd me, hanc ob rem malè & injustè reprehendas, & quòd tua illa objectio, quam tanti æstimabas, sit futilis & inepta, ex hujus materiæ ignorantia, ut sępiùs dixi, procedens: veniamus ad secundam objectionem.

CAPVT XX.

Quòd secunda incredulorum objectio, quæ est contra usum crucis meæ & sacræ ceræ in ea contentæ, sit eiusdē farinæ quæ prima, & insuper temeraria.

DIcam, & quidem non absque ratione, de incredulis, hâc in re, uno tantum verbo mutato, quod olim Judas Apo-

Apoſtolus de quibuſdam fidei & Chriſti inimicis ſcripſit. Quæcumque ignorant, vituperant: Quod licet hactenus ex ſuprà dictis evidens exiſtat, longè evidentius in hac illorum objectione apparet: ſi enim ſacræ ceræ, quam tantopere carpunt, eiuſque virtutis & efficaciæ notitiam haberent, neutiquam illam illiuſque uſum, tam temerè reprobarent. Igitur ut eos ab errore ſuo, & ignorantia liberem, non gravabor eis aperire, quid illa ſit, quibuſvè ex materijs conſtet: quo audito videbunt (ſi tamen videre volunt) nihil eſſe in Eccleſia (ſi Venerabile Sacramentum, Sacramenta & Reliquias exceperis) ſacratius, & ad dæmones cruciandos, torquendos, coërcendos, repellendos, ac abigendos fortius & efficacius. Scire ergo eos velim, nō eſſe aliud, quam aggregatum quoddam ex omnibus, quæ Eccleſia à tempore Apoſtolorum contra Dæmones eorumque inſidias, damna, & nocumenta avertenda & tollenda benedixit, atque inſtituit: quæ autem illa ſint, Reverendo Domino Vicario piæ memoriæ, (ad cuius requiſitionem exorciſmos ſuſcepi) eiuſque ſucceſſori, & Reverendis Dominis deputatis aperui, qui nihil in illa carpendum judicarunt, quod illis ſufficere debet: Cùm ergò, cum Patribus Capucinis, alijſque Religioſis, qui hanc ſacram ceram maleficiatis porrigunt, illâ utor, ſi armis ab Eccleſia contra Dæmones inſtitutis decertem, quis id carpere prçſumat, niſi ſupra modum temerarius? Si verò ad crucis res illas ſacratiſſimas continentis tactum tremant, crucientur, & hâc viâ detegantur, coërceantur & exterminentur, quid mirum? quis enim latro ad conſpectum patibuli & Judicis, non tremit & palleſcit? ſi crux in aëre, etiam ab infideli formata, dæmonem fugat, ut S. Gregor. alijque plures Patres nobis referunt, & omnes Catholici credunt, quid mirum, ſi crux permanens, quam manibus geſtat Energumenus

menus, & juxta Ritualia, ſemper tempore exorciſmorum geſtare debet (quod velim ab Exorciſtis notari) quid mirum, inquam, ſi dæmoni tremorem & horrorem incutiat, eumq́ue torqueat & ſæpè exterminet? Rurſus, ſi crux nuda dæmoni ſit ita formidabilis, quantò plus imago Chriſti, & B. Virginis cruci annexa, vel in ea depicta? ſi ultra hæc, particula aliqua ſanctæ Crucis, & Sanctorum Reliquiæ in cruce contineantur, quantò plus iterum dæmon ad contactum illius contremiſcet, & torquebitur? Scire ergo debes calumniator, crucem noſtram hæc omnia continere. Deniq; ſi aqua luſtralis ſola dæmones à nobis arcet, fugat, accedere impedit, & cruciat, prout innumeræ hiſtoriæ fidem faciunt, ſi aqua Gregoriana ab Epiſcopo benedicta, ſit tantæ, ut ſuprà in liberatione Sororis Joannæ Fery vidimus, virtutis & efficaciæ ad dæmones pellendos, & maleficiatos ſanandos, quid cætera omnia dictæ Cerę & Cruci adiuncta pręſtabunt? Quid ad hæc, tu, qui illam tanquam ſuperſtitioſam ac illicitam carpis, & prohibitam cupis? nonne hac ratione res ab Eccleſia, contra dæmones benedictas & inſtitutas, reprobare & condemnare te vides, ipſamq́ue Eccleſiam accuſare, & ſuperſtitionis inſimulare? agnoſce quò te tua inadvertentia rapit & præcipitat: ſed quorſum, inquis, iſta mixtio, quo authore facta & inventa? bella ſanè petitio: an te latet tritum illud dogma? Vis unita fortior: nonne decem homines ſunt uno fortiores? nonne decem equi plus trahunt quàm unus? Rurſus quæro à te? nonne Reliquiæ unius Sancti dæmonem cruciant & torquent? nonne trium, quatuor, & plurium magis? Si igitur decem Sanctorum Reliquiæ plus dæmonem torquent quàm duæ, prout omnes Catholici credunt, cur non idem dicamus & aſſeramus de rebus ſacris, contra dæmones ex Eccleſiæ inſtituto benedictis

& or-

& ordinatis? Ad hæc omnia, repone, si potes, & ostende vel umbram superstitionis in mixtione sacrę illius Ceræ, cu-ius me temerariè & iniustè insimulas: absit à me, ut super-stitionem in Ecclesiam introducam, eaque cum salutis meę & fidelium discrimine utar, quam totis 35 annis, quibus in functionibus meis Parochialibus, noctes & dies indefessè la-boravi, & verbo & scripto impugnavi, & exterminavi, & quòd illam impietatem, quam tanto labore & studio inse-ctatus sum, nunc publicè doceam & practicem. Sed sat de hoc tuo errore: ab alio te liberare volo; in hac materia eoque gravi & pernicioso: audi illum, agnosce, & corri-ge, si saluti tuæ consultum cupis: Credis, & multi, à te for-tè informati, affirmant nullos maleficiatos, aut energume-nos, tremere nisi in Ecclesia nostra, & nisi crucem meam manibus gestent: Verùm scias, à quocumque duo ista ac-ceperis, esse pudenda mendacia & commenta: Primò enim omnibus qui in Sancto Huberto, & in alijs quibuscumque Ecclesijs, exorcismis interfuerunt, notum est, maleficiatos & energumenos non minùs in eis, quàm in nostra, imò sæpè graviùs tremere, convelli, & agitari. Secundò, non minùs quoque omnibus notum est, eos absque ulla cruce ita gravi-ter tremere, ut vix à pluribus personis retineri possint: va-de ad S. Hubertum, & interroga an absq; cruce mea ener-gumeni non tremant? sciscitare ab Exorcistis istius loci, an ipsæ filiæ, quas hîc exorcizo, ibi absque tremore & agitatio-ne fuerint? sed quid opus te eò mittere? lege historias su-prà relatas, aperi libros citatos, nil ferè nisi tremores, agita-tiones, & convulsiones videbis. Sed de frivolis & ridiculis istis tuis obiectionibus sat superque, veniamus ad tertiam, & videamus an sit solidior?

CAPUT

CAPVT XXI.

Examinatur tertia objectio & refellitur tanquam inepta ac ridicula, quæ est contra libros quibus utor in exorcismis.

OBjectio hæc tertia, tres partes continet: Prima quòd non utar in meis exorcismis Rituali Leodiensi, sed alijs formulis, quæ ibi non continentur: Secunda: Quòd petam curiosa & illicita, Tertia: Quòd linguâ Gallicâ exorcizem, & sine libro. Ad hanc objectionem eiusque partes Resp. mirari me vehementer, quòd tu res tibi ignotas affirmes & obijcias: Quæro enim à te? an meis unquam interfueris exorcismis? scio quòd non: quâ ratione ergò scire potes quibus exorcismis & formis utar? an ex auditu & relatu? hoc nimis ridiculum, & Theologo indignum: interim quicquid sit te scire velim, me omnia ferè Ritualia, quæ in Belgio exstant, & videre potui, legisse, perlegisse, ponderasse, annotasse, ac notabilia quæque excerpsisse, & observasse, quæ ex omnibus Dęmones magis crucient & torqueant, adeòque quæ magis conducant ad eorum expulsionem, & proinde, me hâc formulâ modò uti, modò alterâ, prout occasio sese offert: Vsus sum non raro Rituali Leodiensi, quod ut verum fatear optimos exorcismos continet, etsi interdum utar Mechliniensi, hoc ipso utor Leodiensi: hæc enim duo de verbo ad verbum conveniunt, quod non notasti. Antuerpiensi quoq; frequenter usus sum, à Reverendiss. Domino Maldero Doctore Lovaniensi, & Episcopo Antuerpiensi, viso atq; approbato, in quo documenta multa Exorcistis vtilissima comperi: cūm autem Romano, vel isto utor, nemo sanæ men-

næ mentis & judicij me carpere poteſt : eo ipſo enim quo libri aliqui approbati ſunt, eos legi & practicari poſſe, nemo niſi captioſus & contentioſus negaverit : Ad hæc, quando in meis exorciſmis ſequor Rituale Romanum , quis iterùm, niſi ineptus & ſtolidus reprehendere poteſt? licet enim habeamus Rituale Leodienſe, non ideò fit quòd illud ſolùm in omnibus , & per omnia ſequi & obſervare tenear; nonne & Breviarium pariter Leodienſe habemus? an ideò ad illud, relicto Romano, teneor? Quis igitur non miretur, quòd tam futilia & inepta mihi objicere non verearis?

Quòd ad ſecundam partem objectionis attinet, Reſp. & dico illam eſſe falſam, temerariam , & præſumptuoſam: quæro enim iterùm à te quì ſcias me illicita, vana , & curioſa à Dæmonibus petere? quandoquidem, ut dixi , nunquam exorciſmis meis interfueris, nec intereſſe, licet ſæpiùs rogatus, velis: interim velim ſcias me nec curioſa & illicita unquam petijſſe , nec petere (id enim per Ritualia omnia vetitum & prohibitum ſcio) ſed quantâ poſſum fiduciâ, illis mando & impero , quæcumque ex dictis ritualibus, & Authoribus ſuprà relatis ad expulſionem dęmonum facere, cenſeo & longo vſu expertus ſum : quænam autem illa ſint: lege Inſtructiones tertiâ parte huius Apologiæ contentas, & ibi agnoſces. Quòd autem ſpectat, ad tertiam partem, ſcilicet, quòd gallicè exorcizem, idque memoriter , & ſine libro : Quis non miretur tam ridiculam & ineptam objectionem : Primò enim , formæ ab Eccleſia inſtitutæ nec à me nec ab ullo Exorciſta, gallicè unquam proferuntur : ſed præter has, multa alia obſeruamus, & Dęmonibus mandamus quæ gallicè mandari poſſunt, & interdum (cum alijs omnibus Exorciſtis, qui id prout in hiſtorijs relatis videre eſt, practicarunt) datâ occaſione mando , ut

idiotæ

idiotæ aſtantes videant & agnoſcant Eccleſiæ Catholicæ poteſtatem & virtutem, atque ita illam revereantur, & in fide cõfirmentur. Deniq; ad id quòd tertiò objicis, me nõ uti libro in exorciſmis, ſed ex meo capite idq́; memoriter exorcizare. Reſp. verum eſſe quòd jam pridem Ritualibus non utar, quòdq́ue multa quæ in illis non habentur, practicem & obſervem, ſed de conſilio & mandato dictorum Ritualium me ad probatos authores remittentium, id facio: ex quibus omnia quæcumque mando & obſervo, hauſi & didici. Quòd autem memoriter exorcizem, quis id carpere poſſit, niſi & eos, qui Horas Canonicas, aut alias preces memoriter recitant vel cantant carpere velit? quo, quid ineptius aut abſurdius dici poteſt? Ex hoc ipſo, quòd me tali modo exorcizare audis colligere deberes, quòd longum uſum & experientiam hac in re habeam, non verò me ſpernere & carpere: Certè unus ex tuis mihi aliàs riſum movit, qui cernens me abſque libro exorcizantem, credidit me ex capite id facere: non ita eſt: formas Ritualium exactè ſervo, ſed interim, illis ſervatis, multa alia practico, non ex meo cerebro, ſed ex dictamine Authorum ſuprà relatorum, prout ſæpiſſimè repetij: ſed nimium his nugis immoror: venio ad quartam obiectionem: videamus an illa rem ſeriam contineat.

CAPVT XXII.

Examinatur quarta obiectio, & oſtenditur quòd nulla fiat per nos Inclytæ Ciuitati Leodienſi iniuria, affirmando fuiſſe, & eſſe plures in illa Energumenos.

TAnta eſt nonnullorum nobis nocendi, & in odium omnium nos adducendi libido, ut non vereantur paſſim conqueri,

conqueri & abjicere, quod Inclytæ Civitati Leodiensi gravem injuriam inferamus, asserendo tot in ea reperiri energumenos: audi, & mirare lector, quanta sit in hac querimoniâ cæcitas, passio, & ignorantia: quæ enim Provincia, Civitas, aut Oppidum unquam fuit, in quibus non sint visi energumeni? id certè superiùs abundè demonstravimus: quis unquam sanæ mentis somniavit, idcircò notam aliquam infamiæ ijs, ab historicis qui id referunt, inuri? Audio sanè quendam Parochianum olim meum, Antuerpiæ commorantem, ante aliquot annos obsessum fuisse, & à Reverendis Societatis Jesu Patribus, fœliciter, & quidem brevis temporis spatio liberatum fuisse: Scio & alios plures ibidem fuisse energumenos: an ideò nobilis illa & celebris Civitas malè audivit, & infamata fuit? Scio quoq; quandam filiam inter plures alias Lovanij fuisse obsessam, pro cuius liberatione alij eiusdem Societatis Patres diu laborarunt, sed non ita fœliciter, prout Antuerpienses (nihil enim, omnibus tentatis, efficere potuerunt) an ideò de Inclytæ Academiæ istius honore aliquid decessit? Idem Bruxellis, Namurci, Thenis, & ubique vidimus: quis unquam Civitates illas ideo fuisse infamatas credidit, aut dixit? Vide igitur ex his, lector benevole, quàm ridiculos illi sese exhibeant, qui tales contra nos ineptias & nugas allegare non verentur: Quæro ab illis, an Civitas Leodiensis malè audivit, cùm tria energumenorum millia in ea visa sunt, prout suprà retuli? certè tantum abest, ut inde malè audierit, quin potiùs summam ubique laudem retulerit: audi nostrum Chapeavillum loco sæpiùs citato: His, inquit, alijsque eiusce generis Ecclesiasticis remedijs, secta hæc, quæ spatio unius anni plurimùm invaluerat, paulatim imminui cœpit: Et quamvis per tres quatuorve annos subinde, quidam huiusmodi dæmonum ludibrijs

dibrijs

dibrijs vexari deprehenderentur, tamen Sacerdotum precibus & exorcismis, perfacilè ejiciebantur, Sacerdotum, & Cleri Leodiensis, longè latèque propagato bono odore.

Quid ad hæc? imò Deus isto tempore tot Leodij obsideri permisit pro Cleri conservatione, qui alioquin in summo discrimine versabatur:: audi ex eodem hanc veritatem loco citato: Proposuerat, inquit, ex Wernero, & magno Chronichon Belgico, vulgus insurgere in Clerum, ijsque trucidatis, bona eorum diripere, nisi Deus de remedio per conjurationes prædictas providisset: quo viso, vulgus ita quievit, ut Clerus multò deinde plùs à populo honoraretur. Et paulò pòst, ex Joanne Stabulao, addit rem memoriâ dignam.

Magnus honor, inquit, tunc Clero Leodiensi accesserat, quia Deus per Presbyteros Leodienses, bonos vel malos, dedit remedium contra illam pestem diabolicam, inspirando eos & animando contra tantam potestatem dæmonum: itaque veniebant & adducebantur Leodium invasi & obsessi ab immundis spiritibus, de diversis & longinquis partibus & recedebant sani. Quid ad hæc iterum? Sed quia plerique ex incredulis Presbyteros sæculares contemnunt, & nihil benè, nisi per se fieri autumant, audiant quid iste Author eodem cap. annotet.

Sacerdotes sæculares, inquit, hâc gratiâ Deus donare voluit, quam alijs Sacerdotibus Religiosis negabat, hæc Chapeavillus. Et certè notatu dignum est, quòd nullus prorsus ex omnibus Religiosis, qui nihilominus per id tempus plurimi erant, ne unum quidem dæmonem expellere valuerit: causam illius rei alibi insinuavi: hanc historiam advertant illi, qui exorcismos per solos Religiosos fieri debere, & non per sæculares contendunt; sicuti igitur energumeni illi Clero, & Civitati non obfuerunt, sed plurimùm profuerunt,

ut visum est, ita & nunc fieri certissimum est, quandoquidem quotidie videamus plures in exorcismis converti, Sacramenta frequentare, vitam commutare, imò, perditæ & deploratæ vitæ personas, ad sanam mentem redire, & quod potissimum est, plures hæreticos ad gremium Ecclesiæ redire, prout in Ecclesia nostra, in Sancto Huberto, & alibi, magno nostro gaudio vidimus, & Deum laudavimus, qui ex omni malo bonum elicit. Et hoc ita notum & compertum est, ut quidam Religiosi ingenuè confessi fuerint, dæmones in Ecclesia nostra exorcisatos, plures convertisse, quàm ipsi Concionatores.

Sed quid mirum? quis enim, ex una parte, quantumvis inhumanus & barbarus non moveatur, quando videt tantam dæmonum ferociam & crudelitatem, miseramque energumenorum conditionem & afflictionem? ex altera, quis Ecclesiam, & Ecclesiæ ministros non revereatur, quando videt tantam illorum, in nequissimos & rebelles illos spiritus potestatem & authoritatem, ut cogant illos, tanquam catulos parere & obedire suis mandatis? pro quorum omnium confirmatione, audi iterum Chapeavillum loco sæpè citato, Dæmonem per os puellæ ita loquens, referentem: Eramus, inquit Genius filiam obsidens, & divitum & principum corpora intraturi, & per hos totum Clerum Leodio expulsuri, nisi vestris exorcismis & adiurationibus nos migrare coegistis. Quid ad hæc iterum? ex hoc ergo vide, & agnosce, quanta bona ex energumenis, Civitati, ac toti Clero olim evenerint, modòque obveniant, & vel ex hoc unico titulo, Exorcistas (si illorum officium obire renuis) lauda, commenda, precibus & sacrificijs adjuva. Sed satis de hac objectione, veniamus ad quintam, & videamus quid contineat.

CAPVT XXIII.

Examinatur quinta objectio, quæ est contra appositionem Venerabilis Sacramenti capitibus Energumenorum.

Probavi hactenus multis argumentis & rationibus omnes tuas objectiones, tam contra filias, quàm contra nos, ex harum materiarum ignorantià provenire, idem de hac quinta probo & demonstro. Carpis nos & vituperas, quod V. Sacramentũ Energumenorũ capitibus applicemus, primò, contra honorem, ut prætendis, tanto Sacramento debitum: secundò contra expressam Ritualis Romani prohibitionem: hæc duo examinemus & refutemus.

Ad primum Resp. te falli & toto cœlo errare. omnibus enim Exorcistis & alijs qui exorcismis interesse solent notũ est, applicationem illam, quam temerariè carpis nunquam cum ulla irreverentia factam, sed cum maxima miserorum Energumenorum vtilitate, qui per illam adjuvantur refocillantur, & à gravissimis cruciatibus liberantur, in quibus sæpè deficerent, gravius, & fortè usque ad mortem torquerentur. prout sępè experti sumus, nisi sævi illi & crudeles spiritus, per illud Augustissimum Sacramentum ipsis formidabile coërcerentur. alijque qui in ipsis in adjutorium ordinariè veniunt (ut quotidiana docet experientia) fugarentur. quod certè in maximam illius reuerentiam cedere quis ambigat, cum astantes tantam illius virtutem & efficaciam intuentur? ad hæc te scire velim (qui hoc indubiè ignoras) ad præsentiam illius vel applicationem, usqueadeo spiritus illos nequam & rebelles torqueri, cruciari, cohiberi, coërceri, confundi, agitari, frendere, contremiscere, clamare

mare,ejulare, ut omnes qui hæc vident, etiamsi nihil unquam de veritate corporis Christi in illo Sacramento audivissent, possent ex præmissis id agnoscere, quod ita certũ est ut ipsi hæretici hoc ipsum agnoverint, & clarâ voce confessi fuerint, videntes Laodunij Nicolaam, de qua supra, illo mediante, liberatam fuisse: hæc sanè fuit plurimorum vox & confessio, prout in historia ipsius habetur. Erravimus & decepti sumus: verè est corpus Christi in illo Sacramento, cujus virtutem & potestatem oculis nostris vidimus & perspeximus. Quid ad hæc hæretice? quid ad hæc tu qui illam applicationem vituperas, ecce vides quantùm erres: & quàm malè nos vituperes quia idem facimus, sed audi maiora: plures historiæ produnt, (& inter alias, tres illæ, quas retuli) spiritus illos malignos, vel ad solum conspectum territos & tortos horribili voce sæpius clamasse, tolle, tolle filium Mariæ, quem credimus & sentimus malo nostro ibi præsentem: quid amplius? & apud nos & alibi sæpè, coacti sunt confiteri eos, qui veritatem corporis Christi, in Eucharistia non credunt, esse hæreticos & secum in barathrum detrudendos. Quid ad hæc iterum, sed quid his immoror? lege Authores supra citatos, & videbis quod applicatio illa semper & ubique fuerit in usu, adeoque quòd me carpendo illos omnes carpas. Audisti supra quomodo S. Bernardus pluries usus fuerit, & coram tota Francia: Reverendis. Episcopus Laodunensis, audisti pariter, quòd Exorcistæ Leodienses, idem fecerint: ecce verba Chapeavilli sæpè citati. Præter Evangeliorum recitationem, circa eos quorum difficilior erat curatio, Sacerdotes Eucharistiæ Sacramentum, vel capitibus applicabant, vel è manibus videndum præsentabant: quis unquam S. Bernardum Episcopum Laodunensem, & nostros Exorcistas ideò reprehendit? an igitur à te

carpi

carpi debui, quia idem à tot & tantis Magiſtris edoctus, feci? Sed ſatis nimiùmque de hac tua prima objectione, quam ex ignorantia, prout & omnes alias procedere, omnes vident; veniamus ad ſecundam, & probemus quòd ex eodem fonte emanet.

Rituale Romanum, dicis illam applicationem expreſsè prohibet; ergo non eſt practicanda. Reſp. prohiberi non abſolutè, ſed quando eſt periculum irreverentiæ, quo ceſſante, ſæpiſſimè cum magno fructu, ut dictum eſt, practicata fuit, modòque practicari poteſt. Sed repones, S. Bernardus, & alij qui id fecerunt, ante Rituale Romanum vixerunt, non facturi ſi modò in vivis eſſent. Hæc coniectura eſt erronea & ridicula: quæro à te, an Epiſcopus ſæpè citatus Chapeavillus, & Malderus non viderint Rituale Romanum? qui, eo nonobſtante, praxim illam & docent & approbant: Sanè Rituale Antuerpienſe à dicto Maldero approbatum fuit, & nihilominus hæc verba, in Inſtruct. 4. reperies. Ipſum Venerabile Sacramentum Euchariſtiæ rariùs actu applicabit obſeſſis, & non niſi exgitente neceſſitate, vel evidenti utilitate, & tunc, non niſi magnâ reverentiâ &c. Vides Rituale Romanum, quod non intelligis ab hoc explicatum, & applicationem illam in duobus caſibus poſſe fieri, adeòque verum eſſe quod ſuprà dixi, illam ſcilicet non probiberi, niſi quando ſubeſt periculum irreverentiæ, quod à perito & provido Exorciſta ſemper averti poteſt. Certè ſi applicatio iſta abſolutè & ſemper prohibita foret, dictum Rituale Antuerpienſe exceptiones & limitationes, quas audiſti, non poſuiſſet. Quęro jam bonâ fide à te, ſi S. Bernardum Epiſcopum Laodunenſem, alioſque plurimos, quos ſuprà retuli, & noviſſimè Chapeavillum legiſſes, an obiectionem illam allegaſſes, meque toties vituperaſſes in eo ipſo quod

ſo quod illi practicarunt? certè credo quòd non; & ſic tu ipſe vides tuam illam objectionem ex ignorantia quoque & defectu lectionis procedere, veniamus ad ſextam & examinemus, an illa ſit melior & ſolidior?

CAPVT XXIIII.

Examinatur ſexta objectio, quæ eſt contra exorciſmos brutorum, & oſtenditur, quòd ſit ſtolida, inepta, & ex craſſa ignorantia quoq; procedat.

VIde hîc tuum errorem: non ſolùm Energumenos & maleficiatos, remedijs ab Eccleſia inſtitutis, privare moliris, ſed etiam bruta animalia, quæ quotidianâ experientiâ per maleficia cum miſerorum Agricolarum & Ruſticorum ruina emori videmus. Sanè cùm rerum omnium conditor & conſervator generis humani, laboribus hominum, etiam de mutis animalibus ſolatia ſubrogaverit, & ſine quibus non alitur humana conditio (uti habet in terminis Eccleſiæ oratio hanc in rem inſtituta) nonne temeritas & crudelitas toti Reipub. pernicioſa reputari debet, & homines, qui ſine animalibus ſubſiſtere non poſſunt, & ipſa animalia quæ Deus ad hominum ſervitium & ſublevamen creavit, velle privare exorciſmis, ſine quibus (quando maleficiata exiſtunt, quod non raròcontingit) ſanari non poſſunt. Si verò exorciſmi ad illorum ſanitatem in tali caſu prorſus neceſſarij ab Exorciſtis non fiant, dic mihi à quibus fient? an ab Agricolis? an à Medicis, quos ante omnia vis conſuli? ſanè nulli habent exorcizandi poteſtatem, niſi Exorciſtæ. Et tamen, quia hoc officio fungimur, quia exorciſmos pro

ſanandis animalibus, ab Eccleſia inſtitutos facimus, quia hâc viâ miſeros Agricolas à Dæmonum, eorumque Miniſtrorum infeſtatione liberamus, & præſervamus, nos carpis & vituperas, objiciens quòd bruta animalia & ſtabula exorcizem, contra decentiam, honeſtatem, & gravitatem, Paſtori ineſſe debitam: Vide & agnoſce tuum errorem, & hac in re craſſam ignorantiam non enim animalia & loca, ſed dæmonia illa infeſtantia exorcizamus. Lege formas exorciſmorum, qua hanc in rem ab Eccleſiæ ordinatæ ſunt, & videbis quòd meritò te ignorantiæ inſimulem: ſi non habes, ecce tibi profero.

Exorcizo te Dæmon maledicte, immunde ac maligne ſpiritus quicumque animalia iſta, Dei vivi & veri creaturas affligere aut vexare audes, & adjuro te per Deum viuum ✠ per Deum verum ✠ per Deum ſanctum ✠, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, ut recedas à loco iſto, nec unquam huc reverti præſumas, neque eodem loco, vel alibi, agentibus hominibus aut jumentis, damnum vel pavorem immittas, aut quodcumque maleficium, in detrimentum vitæ illorum, vel ſanitatis, aut utilitatis inferas &c. Ecce vides quòd Exorciſmus ille non dirigatur ad ſtabula, nec ad jumenta prout credis & dicis, ſed ad Dæmonia illis infeſta: ſi ad Dæmonia, cur non vis expelli & exterminari? cur ægrè fers, quòd miſeri Agricolæ juventur? ſi invides lege, ſtude, addiſce praxim & operam tuam illis impende. Hæc cùm ita ſint quis non videt: quantùm obtrectatores quidam vniverſo hominum generi præjudicioſi & pernicioſi ſint, eoipſo quo exorciſmos ideò prohiberi volunt, quia omnes morbos tam hominum quàm brutorum, à cauſis naturalibus procedere aſſerunt? nonne increduli & incauti illi homines, hâc ratione Eccleſiam erroris arguunt, quæ exor-

exorcismos tam pro sanandis hominibus quàm brutis instituit? si omnes morbi sint naturales, si nulla sint maleficia, nulli maleficiati, nulli energumeni, ad quid illi exorcismi, illæ preces, illæ benedictiones, illæ cæremoniæ? nonne Ecclesia ridicula & superstitiosa censenda erit, quæ exorcismos contra morbos, qui nec sunt, nec inferri possunt (juxta illorum doctrinam) ordinavit? Ecce in quales ineptias & amentias cœci illi homines labuntur, cùm suum judicium, & Medicorum ab Ecclesia damnatorum deliria sequuntur. Dicent fortè his rationibus convicti & confusi; non negamus homines, aut animalia per maleficia lædi, & emori posse, sed conquerimur nimis facilè à te asseri maleficiatos & maleficiata, ideòque judicium nostrum inquirendum: itane boni Viri: an ergo quoties jumenta male habebunt, & de maleficio suspecta erunt, ad Vos mittenda erunt? quid facient Rustici, qui Vos non habent, & à Civitatibus remoti sunt? Et licet habeant, an illis expectandum, donec judicium de morbi qualitate tuleritis? sed qualiter id illud fiet? an vocari debetis, vel ad Vos animalia duci? Si ad Vos, equus malè habens mitteretur, vel certè ad stabulum aliquod pro curandis animalibus vocaremini, quid diceretis? quid responderetis? nonne & Vos irrideri & ludibrio haberi meritò conquereremini? cur igitur nos carpitis, cur æmulamini dū hæc nos facimus, quæ nec facere velletis, nec possetis? cur exorcismos nobis prohiberi tanto molimine nitimini? Hæc à Superioribus benè ponderari velim, qui interdum, parte non auditâ, credunt quod ipsis refertur, & concedunt quod petitur: certè si sufficit audire partem accusantem, & non auditam; quis, ut suprà dixi, innocens & tutus erit? nonne hâc viâ improbi prævalebunt, justi opprimentur, & omnia invertentur? Hinc ergo apparet, quàm

 periculo-

periculosum & injustum sit, jurique omni & rationi contrarium audire obtrectatores, & aliquem inauditum repellere atque condemnare: Utinam illud Serenissimorum nostrorum Principum monitum ab omnibus audiretur, & observaretur, *Audiatur altera pars*, certè innocentes non opprimerentur, non spernerentur, non infamarentur, neque punirentur: tot & tantæ querimoniæ quæ coram Deo & hominibus quotidie deponuntur, nec fierent nec audirentur. Sed de hoc satis, audiamus septimam obiectionem.

CAPVT XXV.

Examinatur septima objectio, quæ est quorumdam Medicinæ Doctorum & ostenditur quòd omni fundamēto, veritate & ratione quoad omnes suas partes destituta sit.

HActenus examinavimus & refutavimus, quorumdam tam Regularium, quàm Sæcularium Ecclesiasticorum objectiones, quas ex mera harum ignorantia procedere demonstravimus: quę supersunt, à quibusdam Medicinæ Doctoribus moventur, & nobis objiciuntur: illos ergò attentè & patienter audiamus.

Objiciunt ipsi primò, & graviter ubique sed maximè apud Superiores nostros conqueruntur, quòd ægros omnes qui ad me recurrunt, promiscuè judicem vel obsessos, vel maleficiatos, idque ordinariè nimis facilè & absque ratione ac fundamento, ut hoc modo pecuniam ab illis emungam.

Secundò objiciunt, quòd proba mea, ex qua illud judico, ex tremore scilicet, non sit fundata nec certa, imò suspecta & superstitiosa, ideòque mihi interdicenda.

Tertiò, quòd neminem maleficiatum, aut Energumenum judicare

judicare debeam, nisi priùs pro tali ab ipsis iudicetur, ideòque à superioribus obtinere nituntur, ut nullus exorcizare præsumat, nisi ipsi iudicium suum tulerint. Hæc omnia sigillatim examinemus & refutemus.

Ad primam Resp. illam non procedere ex ignorantia, prout de aliis ostendimus: sed ex malo in nos affectu & calumnia: Deum enim in testem invoco, me plures ex iis qui me accedunt, cùm nulla in eis maleficii, vel obsessionis signa adverto (quod sæpè fit) ad Doctores hactenus remisisse, & quotidie remittere. Cùm autem illa ex longo usu ac praxi, & ex præceptis per dictos Authores traditis adverto (quibus maiorem hac in re fidem, quàm Medicis habendam censeo, prout inferiùs ostendam) utor exorcismis ab Ecclesia eum in finem institutis, quos si ipsi vel inutiles, vel superfluos credunt & asserunt, se temerarios & non Catholicos clarè demonstrant. Quòd autem tales ad eos non semper remittam, quid mirum? quandoquidem plerique ex ipsis, nec maleficiatos, nec energumenos dari credant, & asserant, prout suprà vidimus.

Audiant & notent Superiores, qui de maleficio suspectos, ad eos antequam exorcizentur, remitti volunt, & mandant, quid de nonnullis Rituale Antuerpiense dicat & moneat Instruct. 3. Verùm, inquit, quia experientia docet, plerosq; Medicos ferè omnia mala & accidentia, hominibus obvenientia, attribuere noxijs dispositionibus corporum, & rarissimè judicare aliquē veneficio diabolico infectum, Exorcista non semper ita stabit judicio Medici, quin etiam ex signis infrà positis & aliis variis circumstantiis, prudenter judicabit de hujusmodi malis, consultis, in gravioribus, peritioribus Theologis in hoc genere versatis: Ita Rituale Antuerpiense in dicta Instructione à Superioribus, ut monui,

 benè

benè notanda & ponderanda, ex qua vident, nec ad Medicos, nec ad Theologos quoſcumque, ſed in ritu exorcizandi peritos, vel certè ad eos, qui hac de re ex profeſſo ſcripſerunt, recurrendum eſſe, eorumq́ue ſtandum judicio quando dubitatur, num quis ſit maleficiatus, vel energumenus: Et meritò ſanè: quorſum enim ad Medicos pro judicio eorum hac in re exquirendo remitterentur, quandoquidem, ut ſuprà vidimus, plerique ex ipſis nullos per maleficia morbos inferri, imò nec inferri poſſe credant & ſuſtineant, prout ſuprà vidimus? Et licet crederent, cur illorum judicium inquirendum? cur ſigna ab illis emendicanda? quandoquidem Theologi ſuprà citati, alijq́ue non pauci iſta expreſſè tradant? Quis meliùs Maldero, Sanchez, Thyreo, Delrio, La Torre, alijſq́ue citatis hac de re judicare poteſt? Sanè illi omnes, non parvam Theologis injuriam faciunt, qui ipſis neglectis, cenſent neminem pręter Medicos de maleficiis & obſeſſionibus judicare poſſe nec debere, adeòque ad eos in omni caſu, pro explorando eorum judicio recurrendum eſſe: hoc profectò nullus Theologus aſſeruerit: Deinde, ſicuti omnium judicio iniuſtum atque iniquum foret, & contra omnia jura aliquem pro obtinenda juſtitia ad eum remittere, contra quem litem ſuſcepit, ita ſanè Exorciſtas ad Medicos quoſdam hoſtes, ut experientia docet, eorum capitales, & plerumq́ue obtrectatores: Ad hæc, miſeris energumenis & maleficiatis peſſimè certè conſultum foret, ſi Medicorum judicium, antequã exorcizarentur, habendum foret; plerique enim ex ipſis, ut jam vidimus ex Rituali Antuerp. & quotidie experimur, nullos tales admittunt, atque ita omni remedio miſerrimè deſtituerentur: quo quid Reip. pernicioſius excogitare poteſt? Sanè, ut jurejurando, ſuprà affirmavi, ſuper quo, Deum in teſtem invoco, plures, Deo

coope-

cooperante, sanitati per exorcismos & res sacras adhiberi solitas restitui, qui multis frustrà in Medicos & pharmaca expositis pecuniis, nihil prorsus remedij, ab illis obtinere potuerant, qui idcircò Ecclesiam eiusque ministros ab inde colunt & venerantur: de Medicis autem qui ipsos exhauserunt, graviter conqueruntur. Hæc de prima ipsorum objectione nimium: Ad secundam suprà abundè respondimus & infrà respondebimus in materia de maleficijs parte 2. in qua probam illam certissimam esse videbunt, & omnia quæ contra allegantur, mendacia maligna & pudenda commenta, homine probo indigna, continere.

Quod ad tertiam attinet, eam ridiculam prorsus esse ineptam, atque ex omni parte impertinentem, jam demonstravi, ut non sit opus responsionem meam repetere: cætera audiamus & ponderemus. Objiciunt etiam, quòd expulsis, ut prætendimus, dæmonibus & maleficiatis sanatis, iterum dæmones redeant, maleficiati in suos morbos relabantur.

Resp. si de omnibus intelligant, id falsissimum esse: possum enim producere plures energumenos & maleficiatos à nobis cum Dei gratia liberatos, qui modò optimè valent, & ab omni dolore, morbo, atq; infestatione sunt plenè liberi: possum, inquam, cœcos, mutos, claudos, impotentes producere qui virtute exorcismorum, modò vident, loquuntur, ambulant, & absque ullo impedimento laborant, uti toti Parochiæ nostræ notum est. Si autem interdum dæmones vel morbi redeunt, non magis id nobis imputandum quàm ipsis, si contingat eos, quos sanarunt, in eosdem aut similes morbos relabi: sicuti enim id ex diversis causis evenire potest, ita & nostris maleficiatis & obsessis, qui vel per novum maleficium, vel propter ingratitudinem, aut propter gravia quędam peccata, in quæ post miraculosam sanitatem turpiter

turpiter relabuntur, vel propter alias causas soli Deo notas, interdum in pristinā miseriam reincidunt. Certè legimus & suprà monuimus, S. Bernardum aliquos dæmones expulisse, qui secundò & tertiò redierunt. Idem de Sorore Magdalena, & alijs pluribus vidimus suprà, à quibus dæmones sæpiùs exibant, & redibant: ut nemo mirari debeat, si id in nostris sæpè fiat, prout & nuper Reverendi Domini deputati aliquoties viderunt. Quis ideò S. Bernardum, & Exorcistas hanc ob rem taxandos & vituperandos censuerit? Et sic patet, quàm ridicula & inepta sit illa objectio, quam tamen etiam nonnulli Ecclesiastici imperiti semper in ore habent.

Denique objiciunt aliqui ex ipsis, quòd multas pecunias ab omnibus quos Energumenos vel maleficiatos facimus, importunè petamus. Resp. objectionem illam continere puram calumniam & imposturam, viro probo indignam. Quòd enim ad Energumenos attinet, plures, Deo opitulante, à Dæmonum tyrannide liberavi, tum ex Civitate qui modò sani sunt, tum ex alijs locis; producant vel unicum, si possint à quo vel obolum petij, vel accepi: Certè sæpiùs & ab ijs, & ab eorum Parentibus partes aureæ, & aliæ pecuniæ mihi oblatæ sunt, quas tamen semper (ut plurimi cum illis norunt, & testes erunt, si opus fuerit) recusavi, ne fortè ab æmulis & adversarijs meis, viderer pro lucro illud onus arduum subire, atque etiam ne ipsi Dæmones qui Exorcistis parcere non solent, si quid mali faciant, mihi illud objicerent. Præter quindecim plus minus Energumenos, quos ex pura charitate, à duodecim annis, cum immenso labore exorcizavi, & sibi restitui à septem plus minusve annis, circa duas filias, tum in Ecclesia nostra, tum in S. Huberto, per sex & septem horas, etiam usque ad secundam pomeridianam, & ad undecimam nocturnam, centies ita laboravi, ut vires propemodum

modum exhauſerim, & tantùm abeſt, ut obolum ab illis unquam acceperim, quin potius ipſis cibum, potum, pecuniaſque non modicas præbui & quotidie præbeo, ut proinde pro calumniatoribus & impoſtoribus ab omnibus habendi & reputandi omnes illi veniant, qui fingunt & ſpargunt, me ab illis ali, nutriri, intertineri: & in eleëmoſinis, quas ſibi conquirunt, participare, ideóque me tanto fervore & zelo, fictam illarum obſeſſionem tueri & ſuſtinere. Prô Deum immortalem; quis unquam in animum ſuum induxiſſet tantam eſſe quorumdam ſatis notorum nequitiam & malitiam niſi pro certo id detexiſſemus, & à Perſonis fide dignis, de tali nequitia certiores redditi fuiſſemus: Audi impoſtor quicumque es, vade ad fortalitium noſtrum: ibi invenies plurimos, tum maleficiatos tum Energumenos, quos magno labore exorcizavi & ſanavi, interroga eos, quid & quantum mihi dederint, & audies quòd nequidem teruntium. Accede famulum Illuſtriſſimi Comitis de Furſtenberg, quem tanto tempore exorcizavi omnibus Religioſis id facere renuentibus: pete ab illo, aut ab aliis, quid mihi unquam dederit? Si autem interdum Perſonæ aliquæ honeſtæ, media habentes, tentatis fruſtra Medicorum potionibus & medicamentis, virtute exorciſmorum ſanentur, & aliquid non pro ſanitate, quam à Deo acceperunt, ſed pro laboribus extraordinariis, pro oleo, thure, candelis & alijs requiſitis (quæ pecuniâ comparo) donarium aliquod mihi donent, quid ibi carpendum aut vituperandum? an recuſandum quod mihi offertur? quorſum Medici illud invident? ſanent ipſi & quod nobis datur accipiant, & nullus erit invidentiæ locus: ſi nō poſſint, cur obloquuntur? cur nos carpunt, cur vituperant? Sed quæro ab illis? an ipſi gratis ægros ſuos curent? an ipſi per Civitatem, & extra

tra currant ut illos invisant & curent? si idem facimus, si ad Civitatem & extra vocati comparemus, & necessaria ad exorcizandum deferimus, atque pro eiusmodi itineribus & laboribus aliquid oblatum accipimus, imò si exigeremus (quod nunquam à nobis factum est) salarium nostrum, discretioni Personarum relinquentes) quorsum nos aliqui dente maligno lacerant & proscindunt? quorsum carpunt & vituperant? quorsum tantopere de nobis conqueruntur? in promptu causa est, quia scilicet quicquid nobis datur sibi decedere autumant: hinc igitur eorum clamor, hinc luctus, hinc invidiæ & querelæ contra nos, & alios Exorcistas, quibus per fas & nefas exorcismos interdici volunt & satagunt: sed bene est quòd Theologi, quòd Auctores supra citati, quòd ipsa Ritualia eorum ęmulationem, malam fidem & incredulitatem annotarint, omnesque Superiores de illis monuerint, quos credimus, plus dictis Authoribus & Ritualibus, quàm ipsis deferre, & in posterum, his auditis delaturos. Si qui Reges & Principes, omnibus suis subditis interdicerent ne ullus æger ad Medicos recursum haberet, nec illorum operâ pro sanitate recuperanda uteretur, quæro ab illis quid de huiusmodi prohibitione dicerent? nonne iniquam injustam & bono publico ipsique rationi contrariam & repugnantem proclamarent & querimonias in cœlum usque mitternt? nonne ipsi ægri æquissimam de eiusmodi Regibus, & Principibus conquerendi ansã haberent? si ita est, cur ergò ægros, quos curare non possunt, ad Medicos spirituales, seu Exorcistas, recurrere nolunt? cur illis exorcizandi potestatem interdici tantopere moliuntur? si primum iniquum, injustum, & Reip. perniciosum clamant cur & non secundum? cùm in omnibus locis, plurimi semper fuerint & sint Energumeni, & maleficiati, prout Manifestè

festè illis demonstravimus, quos certum est, non posse nisi virtute exorcismorum, ab Ecclesia institutorum, sanitati restitui, prout infra ostendemus: sed his nugis & ineptijs refellendis nimis immoror; materiam itaque nostram prosequar, quandoquidem manifestè ostenderim fuisse semper & vbique, modòque esse plures Energumenos non obstantibus quorumdam Medicorum objectionibus inquiramus cap. sequenti quinam sint, & qualiter obsideri possint.

CAPVT XXVI.

Quinam obsideri poßint, & quibus de causis id fieri cõtingat?

HActenus clarè & manifestè contra quosdam incredulos probavimus, ante Christi in Mundum adventum, & depost fuisse semper & vbique plures Energumenos, modòque, tam Leodij, quàm alibi esse, hoc cap. videamus, quænam personæ obsideri possint, ac qualiter id fieri contingat, de quo nonnulla superius dixi, quibus addo sequentia. Plerique ex ignorantia, & defectu lectionis ac praxis, hac in re graviter errant, credentes neminem obsideri, nisi ob gravia quædam crimina, vel certè, propter Parentum imprecationem: non ita est, ut liquidò ex sequentibus patebit.

Primò enim certum est ex Patribus, & ex probatis historijs nonnullos licet probos & timoratos, ob sola peccata venialia, à Dæmonibus arreptos fuisse: Audiamus Cassianum collat. 7. cap. 27. nostram assertionem confirmantem Cùm esset, inquit, Moyses singularis, & imcomparabilis vir ob reprehensionem vnius sermonis, quem contra Abbatem Macharium disputans paulò duriùs protulit, quâdam

ſcilicet opinione præventus,tam diro confeſtim traditus eſt ſpiritui, ut humanas egeſtiones ori ſuo ab eo ſuppletus ingereret : quod flagellum purgationis gratiâ,ſe Dominus intuliſſe, ne ſcilicet in eo ,vel momentanea delicti macula reſideret, velocitate curationis eius , atque aucto remedio demonſtravit : nam continuò Abbate Machario in oratione ſubmiſſo , dicto citiùs, nequam ſpiritus ab eo fugatus abſceſſit. Ecce exemplum quoad omnes partes bene ponderandum.

Audiamus & S.Gregor. lib. 1.dialog.cap.4 Quâdam die, inquit, una Dei famula hortum ingreſſa eſt, quæ lactucam conſpiciens concupivit , eamque ſigno crucis benedicere oblita, avidè momordit, ſed correpta à diabolo, protinùs cecidit &c. & paulò pòſt, dæmonem conjuratum in hunc modum reſpondiſſe,addit, Ego quid feci? ſedebam ibi ſuper lactucam, venit illa, & momordit me : cui cum indignatione vir Dei præcepit ut diſcederet, & locum in omnipotentis Dei famula non haberet : qui protinùs abſceſſit, nec eam ultrà contingere prævaluit. Ecce vides Monachum iſtum, & Monialem propter levia iſta peccata, quæ nemo mortalia affirmaverit, in dæmonum poteſtate fuiſſe, adeòq; aſſertionem meam benè fundatam, audi reliqua & mirare.

Certum eſt, inſuper (quòd longè maius eſt) nonnullos abſque ullo prorſus ſuo demerito, fuiſſe ſæpius obſeſſos. Huius aſſertionis teſtes habeo, inter alios plures, D. Hieron. & Auguſtinum Eximios Eccleſiæ Doctores : audi primum in celebri illa epiſt. ad Paulam, de dormitione Bleſillæ. Quæ cauſa eſt, inquit, ut bimuli trimulive, & ubera materna lactantes, à Dæmonio corripiantur &c, ſi quæris cauſam habes ibidem, ex illo : his verbis, *Inviſibilia* hæc inſcrutabili Altiſſimi iudicio ſunt relinquenda, hæc Hieronymi : Audi ſecun-

secundum lib. 21. de civit. Dei cap. 14. *Grave*, inquit, jugum filios Adam, à die exitus è ventre matris eorum & usque adeo impleri necesse est, ut ipsi parvuli per lavacrum regenerationis, ab originali peccato, quo solo tenebantur vinculo, iam soluti, multa patientes, nonnulli incursus spirituũ malignorum aliquando patiantur. Idem habet lib 22. cap. 22. Ecce habes duos illos Ecclesiæ Doctores assertionis meę testes, qui licet incredulis omnibus abundè sufficere debeant, alios tamen illis produco.

Primò quidem Palladium, qui in vita B. Macharij refert puerum quendam, qui à sævissimo spiritu crudeliter torquebatur, miro modo ab eo fuisse liberatum, & pristinæ sanitati restitutum.

Secundò: produco puerum istum, cuius mentio fit in vita Sancti Parthenij, in quo, Dæmon quidam occultus, & postmodum expulsus latitarat: de quo vide Metaph. 7. februarij

Tertio: parvulam quandam puellam Tolosensem, à qua S. Remigius ad preces S. Benedicti, Dæmonium expulit, Vide Hincmar. apud Surium tomo 1. fol. 283.

Quartò: alium quoque infantem, nomine Dominicum quem Bertholphus Abbas Bobiensis à nefario spiritu liberavit prout refert Ionas in vita ipsius, apud Surium tomo 4.

Quintò: illum puerum, qui à patre ad S. Bernardum adductus, repertus est obsessus & liberatus, uti videbis lib. 2. vitæ ipsius cap. 3. apud Surium, tomo 4. fol. 800.

Quid plura? idem reperies apud S. Marcum cap. 9. de quodam, qui gravissimam Dæmonis obsidentis vexationem, à pueritia sua sustinuit. Quid ad hæc incredule? quid ad hæc medici, qui omnes morbos cum suo Lemnio, à causis naturalibus provenire credunt & asserunt? Sed quæret quispiam

cur Deus parvulos istos infantes à spiritibus illis sævis obsideri, & vexari permittat? præter causam superius à S. Hieronymo assignatam, addo sequentes,

Prima est, ut increduli & perversi homines doctrinam quam Ecclesia ipsis proponit, veram esse videant, scilicet præter hæc corpora quæ videmus & tangimus, alias exstare creaturas nempe spiritus omnis concretionis expertes.

Secundò: Vt quasi in speculo videant magnos illos cruciatus qui ipsos post hanc vitam manent, quandoquidem pueri innocentes ita crucientur.

Tertiò, ut videntes tantam Dæmonum sævitiam quam in parvulos illos exercent, eos timeant, & abhorreant, sicque ab omni cum eis societate pacto, & communione seriò abstineant: sunt & aliæ rationes, quas ne sim prolixior, prętereo ut ad tertiam assertionem veniam, quæ est.

Plures ob peccata parentum, fuisse obsessos modòque possideri, historiæ probatę produnt: Ecce ex pluribus aliqua profero scitu digna. Cæsarius, de quo supra quædam excerpsi, lib. 5. cap. 26. narrat iracundum & malum quendam Patrem filiæ quinquenni lac comedenti, imprecatum esse, ut cum lacte Diabolum voraret: vix verbum, inquit, effatus fuit, cum ecce tibi subitò Dæmon filiolam illam invadit, & in ea sibi domicilium figit, eiusque tyrannidem ad maturam usque ætatem sustinuit.

Similia duo exempla apud eundem habes dicto lib. cap, 11. & 12. Unum de uxore, cui maritus dæmonium imprecatus fuit, alterum de misero quodam parvulo filio, cui Pater idem deprecatus fuit.

Idem in historiis suprà relatis de Nicolaa Laodunensi, & Sorore Joanna Fery Montensi suprà vidimus, quæ malâ parentum imprecatione, à pueritia sua obsessæ fuerint, & mise-

miserandis modis cruciatæ. Quæres ? an solus Pater suâ imprecatione dæmonia in proles suas immittere possit ? hoc enim vulgus credit & asserit ? Respond. falli : hoc enim & mater potest, ut videre est apud eundem Cęsarium, & in vita Zenonis Martyris, in qua legitur : Quòd cùm quædam impatiens mater puero gravi siti afflicto poculum aliquoties præbuisset, nec ille petere desisteret, irâ & impatientiâ victam, eidem poculum obtulisse, & cum eo dæmonium imprecatam fuisse, ad quam vocem mox à dæmone obsessus fuit. Vide Surium 25. May : sed cur vetusta exempla quęrimus, cùm recentia nobis abundè suppetant ? certè duæ nostræ filiæ obsessæ eandem ob causam obsessæ fuerunt: Anna quidem ob Patris imprecationem, Catharina ob Matris: uti dæmones gravissimis & diuturnis exorcismis cruciati & coacti, sæpius tandem confessi sunt. Sed de hac tertia conclusione satis.

Dico 4. certum est plurimos ob quędam propria crimina gravia à dęmonibus obsessos & miserè cruciatos & afflictos fuisse. Vide plura exempla superiùs à nobis relata, quæ timorem & horrorem tibi incutient : vide & Thyræum parte 2. cap. 30. La Torre disp. 21. Delrio lib. 3. q. 7. sect. 4. quos si non habes, ecce pauca tibi ex plurimis excerpo, & quædam dicta repeto. Primò, propter veritatis impugnationem, atque abnegationem, uti videre est apud Cypr. & Stapleto. in tertia Dominica Quadragesimę : notent hoc adversarij, & timeant ut suprà monui, quandoquidem in isto vitio à tanto tempore ita pertinaciter perseverent.

Secundò, ob Eucharistæ abusum, ex eodem Cypriano, referente viros & mulieres à spiritibus malignis obsessos, eò quod sine confessione & pœnitentia sacrum Christi Corpus sumere præsumpserint.

Tertiò,

Tertiò, blaſphemos quoſdam homines ſæpiùs etiam ob deteſtandum illud crimen à dæmonibus obſeſſos fuiſſe, plures hiſtoriæ memoriæ tradiderunt: Alexander ille improbus & Hymenæus, de quibus ſacra pagina, hoc ſuo malo experti ſunt. 1. ad Timoth. 1.

Dico 4. id quoque contingit ob peccatum ſuperbiæ, & inobedientiæ, prout videre eſt in vita Poponis Abbatis Stabulenſis, ubi terribilis hiſtoria refertur de quodam refractario Religioſo, quem propter inobedientiam, & Poponis Abbatis ſui contemptum, mox dæmon invaſit & obſedit.

Quintò ob peccatum luxuriæ, & impuritatis, uti patet de Magdalena, quā propter illud à ſeptem dęmonibus verè & realiter fuiſſe obſeſſam, plurimi graves Patres & Doctores exiſtimant. Si quæris alia de hac re exempla, lege dictos Authores, ac hiſtorias, & formidabilia exempla invenies.

Sextò, propter livorem & invidiam, ut patet de Saule, qui ob hoc peccatum Deo odibile à dæmonio quoque, juxta plurimos graves authores, correptus fuit.

Septimò, propter avaritiam, cuius rei multa horrenda exempla ubique exſtant.

Octavò, propter innocentum perſecutionem, quod ab adverſarijs noſtris benè quoq; notari velim, qui duas illas miſeras filias, omnibus modis perſequuntur, infamant, & ſimulationis liberè inſimulāt. Et ſi exempla eorū, qui ob peccatū hoc, horrendè puniti fuerint, videre velint, legant Thyræum loco citato. Sunt & alię plures cauſę, quarum nonnullas ſuprà retuli, quas ijdem Authores fusè deducunt, uti filiorum in Parentes impietas, jurgium, atque convitium, religionis & pietatis contemptus, de quibus exempla memorabilia exſtant, quę brevitatis causâ prætereo, ut quod reſtat ſuper hâc quæſtione, & explicem, & demonſtrem.

CAPVT XXVII.

An dentur aliqui Energumeni per maleficium?

OStendi ſuperiori capite, quadruplicis generis perſonas quas contingit varijs de cauſis obſideri, ſupereſt ut examinemus an malefici, Dæmones in hominum corpora, certis pactis & maleficiis, immittere poſſint? Pro certo fundamento; ſuppono nullũ ex omnibus perſonis ſupra relatis, fuiſſe obſeſſum, nec obſideri poſſe, niſi Deo illud ex cauſis relatis, vel alijs nobis ignotis, ſpecialiter permittente, alioqui numerus energumenorum infinitus foret. Hoc ſuppoſito & ſtatuto.

Dico graviſſimorum Patrum ac Doctorum authoritate fretus atque quotidianâ experientiâ edoctus, plurimos fuiſſe modòque eſſe, per maleficium Deo, ut dixi, illud ex cauſis ſibi notis, permittente, verè & realiter obſeſſos, quod ita apud Authores omnes, qui hac de re tractant, certum eſt & compertum ut abſque temeritate in dubium revocari non poſſit: Et ne increduli de hoc ulterius dubitari poſſint, ex pluribus Authoribus, quos pro huius aſſertionis veritate producere poſſim, Veteres & Neotericos aliquot proferam: Videant S. Hieronymum, teſtem omni exceptione majorem, in vita S. Hilarionis: ibi invenient, arte Vatum Æſculapij, Dæmonem in virginem quandam, quam juvenis perditè amabat, fuiſſe immiſſum, miriſque modis illam dementaſſe: Et quia increduli forte non habent Hieronymum, non gravabor verba illius exſcribere.

Perducta, inquit, à Parentibus, ad Monaſterium, ſeni traditur, ululante ſtatim & confitente Dæmone, vim ſuſtinui, invitus abductus ſum: quam benè Nemphi ſomnijs homi-

nes deludebam! ô cruces! ô tormenta, quæ patior! exigere me cogis, & supter limen ligatus teneor, non exeo, nisi me adolescens qui tenet, dimiserit: tunc senex; grandis, ait, fortitudo tua, qui licio & lamine strictus teneris: dic cur ausus es ingredi puellam Dei? ut servarem, inquit, eam virginem: tu servares proditor castitatis? cur non potius in eum, qui te mittebat es ingressus? Vt quid, respondit, intrarem in eum, qui habet collegam meum, amoris Dæmonem? En habes puellam obsessam per maleficium, & sic assertionem meam verificatam: audi alium testem ex sæculo septimo, eumque Episcopum Anastasium, inquam, Episcopum Nycænum q. 23, referentem, Simonem magum, eos qui ipsum spernebant & præstigiatorem vocabant, Dæmonijs verè & realiter subjecisse, non autem per imaginationem & illusionem, & putavit Baronius ad annum Christi 684. fuisse enim veram & nō imaginariam immissionem, sustinent Delrio, Thyręus, & alij multi: Addo tertium, eumque celeberrimum scriptorem & historicum Theodoretum scilicet, Episcopum Syriæ, anno 430. in historia Sanctorum Patrum sect. 13. in macedonio, cuius verba fideliter exscribam.

Cum quædam puella, inquit, Thalamo adhuc contineretur, & repente cæpisset vexari à malo Dæmone, accurrit Pater ad Divinum hominem (Macedonius erat) orans, vociferans & postulans ut curaretur filia: is autem, precatus, jussit ut Dæmon statim abiret à puella, hic dęmon dicebat se eam non fuisse sponte suâ ingressum, sed magnis coactum præstigijs, prodebat quoque nomen eius, qui coegerat, & amorem esse causam incantationis. Hæc cum audisset Pater, non tulit iræ impetum, nec expectavit ut curaretur puella: mox omnium Magistratuum sinum adit, accusat hominem: rem negabat, & accusationem nominabat calum-

niam

niam,hic autem non alium citabat testem, quam ipsum dæmonem, qui minister fuerat incantationis, rogabatque judicem,ut curreret ad virũ divinum(Macedonium) atque eius acciperet testimonium.

Cum verò is diceret non esse fas nec justum, ut in locum monasticæ exercitationis haberetur quæstio,dixit Pater puellæ, se in judicium ducturum Macedonium, & currens persuasit,& dixit : magnus igitur Macedonius fungebatur officio Iudicis, utens ea,quæ intus habitabat, potestate : jussit igitur Dæmoni, ut consuetum mitteret mendacium, & totã rei veritate narraret tragædiam. Ille à maxima adactus necessitate, & virum ostendit, qui ei magicis carminibus vim attulerat, & Ancillam per quam potio puellæ data fuerat. Quid ad hæc incredule? contra tales testes,si illi pro veritate assertionis meæ non sufficiant ecce Neotericos.

Ioannes Bodin, licet prohibitus, loquens de dæmoniacis, lib. 2. cap. 3. fol. 158. pro hac veritate,ita Gallicè deponit.

Il s'en trouua à Rome 82. *(a sçavoir possedez) l'an* 1554. *qu'un Moyne de France,de l'Ordre de S.Benoist voulu conjurer,mais il s'y trouua bien empesché. M. Fayus &c. qui estoit lors à Rome, escrit que le l'endemain les Diables enquis pourquoy il les avoit saisies, respondirent que les Iuifs les auoyent envoyez aux corps de ces femmes (qui estoyent pour la plus part Iuifs) en despit (comme ils disoyent) de ce qu'elles avoyent estez baptisees. Qui fut cause, que le Pape Theatin, qui hayoit les Iuifs a la mort, les vouloit bannir, si un Iesuite n'eust soustenu, que les hommes n'avoyent pas la puissance d'envoyer les diables aux corps d'une Persone:* Ecce Bodini testimonium, qui cum Delrio & aliis probatis authoribus,hoc addit.

Cest chose bien certaine, ny le diable mesme na pas ceste puissance si Dieu ne luy permet; mais par une permission de Dieu, il se peut

faire: Et in huius veritatis probationem refert qualiter Moniales quædam omnes in Germania per maleficum fuerint obſeſſæ, ut ſuprà latiùs deduximus: Hic Author licet aliàs, ut dixi, ſuſpectus & prohibitus, perpendens quorundã Medicorum incredulitatem in hac materia, in illos graviter invehitur his verbis: *Quelques fois le maling eſprit parle comme dedans l'eſtomach, eſtant la bouche de la femme cloſe, quelques fois la langue tiree de demy pied hors la bouche, quelques fois par les parties honteuſes: Et en cecy tous les Atheiſtes, qui nyent qu'il n'y a pas des diables, demeurẽt muetz, car ils confeſſent que la bouche, ou la langue tiree & immobile, on ne peut parler, & moins encore par les parties hõteuſes, & ne peuvent dire auſsi, que la melancholie apprenne a parler Grec, Hebreu, Latin, à une femme qui ne la jamais appris, ce qui ſe voit en celles qui ſont poſſedees des malings eſprits.* Vides qualiter ipſe refutet & explodat Lemnium eiuſque ſectatores, qui auſus eſt ſcribere locutionem iſtarum linguarum ignotarum fieri poſſe à cauſis naturalibus, ut ſuprà diximus.

Si ille ipſis ſuſpectus ſit, ecce alium produco in hac materia verſatiſſimum & expertiſſimum Henricum Bognet, quem utinam increduli omnes attentè legiſſent: titulus libri eſt, *Diſcours des ſorciers*: Is igitur cap. 15. & alibi ſæpius, plures perſonas refert, in quas malefici vel ſagæ dæmones immiſerunt: accipe aliquas ex pluribus verbis ipſius.

Françoiſe Secretain confeſſa qu'elle avoit baillé cinq diables à Loyſe Maillot.

Item Iacques Bocquet bailla deux diables à Rolande, deſquels l'un ſe nommoit Chat, l'autre Diable.

Item Claudine Rolet mangea trois pommes, qu'elle avoit eu de Ieanne Roſeau, elle ne demeura gueres ſans eſtre poſſedee de trois diables.

Item Pernette Pinay fut poſſedee de ſix diable, apres qu'elle eut

mangé

mengé une pomme, & un morçeau de boeuf, à la sollicitation d'une sorcier.

Item une autre sorcier en envoya trois au corps de Catherine Poncet.

Il adjouste, Caron en son Ante-Christ demasqué recite, que Catherine Barayone donna certain nombre de demons à une Magdaleine aagee environ de 22. ans, & que la Gochone en bailla aussi à une Marie, & dit que les diables estoyent dedans les noix, que les possedees mangerent.

Item Fernel raconte pareillement, qu'un certain estant alteré, & ayant, a faute deau, mangé une pomme, il fut a l'instant possedé du diable, prout suprà vidisti.

Et ut constet quantus sit obsessorum per eiusmodi maleficia numerus, subdit: *I'en ay, veu pour un coup (ce que je ne puis rapporter sans horreur) jusques a 45. qui assistoyent à une procession d'un seul petit Village de Savoy &c.*

Quid ad hæc incredule, ecce audis Fayum, Regum Consiliarium in suo Energumeno, Bodinum, Fernelium, Bognet, Hieron. Theodoret. Anastas. qui omnes tuam incredulitatem condemnant, & assertiones supra positas, sed potissimùm vltimam hanc confirmant. Si quæris recentia exempla: Ecce Ecclesia nostra plures eiusmodi tibi exhibebit, qui iisdem maleficijs v. g. comedendo poma, pyra, aliosque cibos, obsessi fuerunt prout ipsi Dæmones virtute exorcismorum cruciati & coacti non solùm confessi sunt, sed sagas ipsas & loca habitationis designarunt, quæ de facto tales vbique reputabantur, atque ideò his fortè auditis malè sibi consciæ, fugerunt & evanuerunt. Ne verò quoad immissionem erres & hallucineris, scire debes illam non semper provenire à maleficis, quasi habeant facultatem cogendi Dæmones: ipsi enim vel sponte, ex pacto intrant in homines, vel

iuxta alios inferiores Dæmones per superiores ad id adigun-tur: Nō sicuti sunt quidā alijs Superiores, ut infra dicetur, ita & potentiores ac fortiores, volentes hâc in re, malefico fidem servare & gratificari: vtroque autem casu Dei permissio illis necessaria est, sine qua immissio illa, quocumque modo fiat nunquam evenit, nec evenire potest: cur autē Deus talia permittat, plures causas supra retulimus, licet & aliæ subsint ipsi soli notę, quas admirari non investigare debemus: atque ita hoc caput concludemus, ut sequenti examinemus cur Dæmonia in hominum corpora ingrediantur eaque possideant & affligant?

CAPVT XXVIII.

Quæ sunt motiva seu causæ, ob quas Dæmones humana corpora ingrediuntur?

PRobavimus manifestissimè contra incredulos, quòd dæmones corpora humana ingrediantur, & quidem sæpè per maleficium: hoc capite discutiemus, cur seu propter quæ motiva ingrediantur: quâ re bene intellectâ, evidens fiet quàm magno in discrimine miseri Energu meni versentur, adeòque quàm crudeles illi sint & quàm graviter delinquant, qui dant afflictionem afflictis.

Dico igitur, 1. vèrum quidē est quòd ad id moveantur ex gravissimo, quo in Deum feruntur odio, quem quia summè oderunt, homines qui sunt Creaturæ eius quos ab ipso maximè diligi vident & experiuntur, summmo quoque & continuo odio prosequuntur.

Dico Secundò etiam ad id moventur, ex summa invidia quâ

quâ erga homines ideo feruntur, quia vident Dei filium naturâ eorum postpositâ, humanam assumpsisse, hocque modo non solum nobilitasse, ac super omnes Angelorum choros evexisse, sed etiam homines Dei visione frui, atque in sedibus, à quibus turpiter dejecti sunt, collocari: Ex hoc igitur gravissimo odio, atque invidiâ omnibus, quibus possunt, modis, illis nocere & obesse student; & quia per obsessionem, id maximè faciunt, illam summopere optant & desiderant.

Dico Tertiò, verum quoque est, quod ad id provocentur, ut in creaturas Dei pretioso ipsius sanguine redemptas imperium quoddam exerceant, quod summè ex superbia ambiunt.

Dico Quartò, causa tamen præcipua istius ingressus, est ut miseros Energumenos ad varia peccata inducant, sicque Deo & visione Dei privent, atque ad inferos secum trahant: hinc in finem tot & tantis modis illos torquent, cruciant, & tentant, ut vix exprimi possint: utinam illa scirent adversarij nostri; utinam vidissent quæ nos tot annis non sine gemitu, dolore, & lachrymis frequentissimè vidimus; animum illum ferocem & inhumanum illico deponerent, atque pium & benignum assumerent, eisque nobiscum condolerent, & suis precibus juvarent. Et quia non possumus: nec expedit omnes earum afflictiones & tentationes sigillatim referre, exprimam aliquas ex innumeris, ut omnes qui illas legerint, illis condoleant, suisque precibus Deo commendent atque etiam, ut exorcistæ earum aliquam cognitionem habeant, illis advigilent, in confessionibus benè interrogent, admoneant, adjuvent & consolentur.


Dico igitur quintò, his modis torquent & cruciant miseros, quos obsident; ventrem & guttur inflant, intestina omnia movent, corpus, caput, omnesque & singulas corporis par-

ris partes agitant & commovent, pugnis percutiunt & verberant, crines evellunt, vestesque omnes dilacerant, ut centies timuerimus ne miseræ Personæ ex vi tantorum tormentorum & afflictionum, in desperationem (quam sævi illi Tyranni unicè intendunt) adigerentur ideòque contra illam, ab Exorcistis sedulò præmuniri, erigi, animari, & confortari debent. Deinde tantam sævitiam in eos exercent, ut vel fidem amittant vel saltem illis persuadeant esse à Deo derelictos, nec ullam sui habere curam quandoquidem tantam in eos potestatem Dęmonibus concedat: contra has iterum tentationes & suggestiones bene instrui debent, atque ad patientiam, & ad conformitatem cum divina voluntate habendam omnibus modis induci, bene illis imprimendo, quòd Deus qui omnia videt, non nisi propter ipsarum salutem omnia illa permittat.

Ad hæc quis exprimat quàm fœdas & impuras cogitationes ferè continuò miseris suggerant, ut ad consensum & ad delectationem inducant. Si id assequantur, pudorem illis imprimunt ut has tentationes & consensum in confessione reticeant. Hæc benè notent & advertant Exorcistæ atque Confessarij, & adversùs eas arment & muniant.

Jam verò quàm obscœna & libidinosa objecta, ob oculos illis ponant, quis sine horrore & commiseratione referat, propter quæ toto corpore non rarò contremiscunt, nec his impuri & sordidi illi spiritus contenti, omnibus modis (quos si referrem anima casta erubesceret) ita corpus commovent & accendunt, ut pro miraculo habendum sit, quòd tanquam Salamandræ, in igne absque combustione, id est absque consensu ardeant. Quòd si aliquando ex carnis fragilitate, aliquem energumenum in peccatum carnale labi contingat, nemo miretur: ideò enim in homines, ut suprà dixi, ingrediuntur,

diuntur, ut ad illud maximè peccatum ipſos impellant. Unde ſæpius miratus ſum quorundam doctorum opinionem & diſcurſum, qui, ex eo quòd annis præteritis miſer quidam juvenis (de cuius quoque obſeſſione à nemine, niſi malè informato, vel ignaro & pertinace ambigi poteſt) in hoc peccatum lapſus fuiſſet & prolem ſuſcitaſſet, pro fictore & ſimulatore ab eis habitus fuit. De hoc Lectorem & Exorciſtam monitos volui, ut ſi tale quid eveniat, non ideò turbentur, nec tales abjiciant, ſed ad ſpem & pœnitentiam reducant. De energumenis plura hâc parte, non dicam; intentum enim meum, ut credo, aſſecutus ſum, nempe fuiſſe ſemper ubique energumenos, modòque eſſe, & quidem Leodij, ſed maximè filias illas, quas adverſarij injuſtæ fictionis inſimulant, verè tales eſſe, non obſtantibus eorum rationibus & argumentis, quæ, ut Lector vidit, clariſſimè dilui: ſupereſt tertium membrum meæ Apologiæ, nempè maleficium, de qua, ſecundâ hâc parte, quę ſequitur.



APOLOGIÆ

Pro Exorcistis, Exorcismis Ecclesiasticis, Energumenis, Maleficiatis, & ab incubis Dæmonibus molestatis.

PARS SECVNDA.

De Maleficio, & Maleficiatis.

QUia plerique Medici, aliįq; tam Ecclesiastici quàm sæculares non minori laborant ignorantiâ in iis quę hanc materiam concernunt, quàm in præcedenti, operæ pretium me facturum esse duxi, si paucis de ea agerem: ignorantes docerem, incredulos convincerem, & ab errore liberarem.

Primò igitur explicabo, quid sit maleficium, & quotuplex, quomodo, à quibus, & ex qua materia fabricetur, quos morbos inferat, & inferre possit, quomodo destruatur & dissolvatur?

Item, an sint aliqui verè maleficiati? quomodo, & a quibus dignosci possint & debeant? &, quod potissimum est, an per remedia naturalia sanari possint? Denique de remediis Ecclesiasticis, quæ sola maleficia tollere possunt, & maleficiatos sanitati restituere, prout manifestè probabimus. Incipiamus igitur à maleficio, & videamus quid sit?

CAPUT

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Maleficium?

MAleficium à malefaciendo dictum, ut ex ipſo nomine patet. importat malum alicui illatum, & tripliciter ſumitur. Primò, pro damno iniuſto voluntario rerum. Secundò, pro damno iniuſto Perſonæ, ut ſi quis vulneretur aut occidatur. Tertiò pro damno iniuſto Perſonæ illato à Diabolo, quo quis ſecundùm communem loquendi vſum dicitur maleficiatus, quia illud damnum patitur.

Et maleficus vel malefica dicitur, qui illud damnum procurat fieri à Diabolo, pacto expreſſo, vel tacito interveniente, & ad hoc tertiũ maleficiũ, pertinet ſignum fœderis, quod eſt inter Diabolum & maleficum, quod ſignum etiam maleficium dicitur, ita Sylveſter V. maleficium.

Brevius autem & perfectius definiri poteſt, iuxta Delrio lib. 3.q. 1. hoc modo. Maleficium eſt magiæ ſpecies, quâ quis arte Dæmonum, alteri damnum parat. Dictum eſt, ope Dæmonum: ſi enim fœdus vel pactum cum eo deſit, non erit maleficium de quo agimus.

Sciendum igitur in omni maleficio, hæc tria concurrere, Deum permittentem, Dæmonem perficientem, & pravam malefici conſentientis & cooperantis liberam voluntatem.

Dixi primò, Deum permittentem: nec enim capillus de capite cadere poteſt abſque eius permiſſu, nec Dæmon plus damni inferre poteſt, quàm Deus permittit: nec rurſus ipſe Dæmon ordinariè vult id quod ſibi permittitur patrare niſi maleficus in maleficiũ conſentiat. Quod vel inde patet, quia videmus maleficium v. g. crines, oſſa, contactum vel pul-

verem ſagarum, illis dumtaxat nocere, quibus nocere volunt.

Quod, inter alios multis exemplis oſtendit & probat Nicolaus Remigius, in hac materia verſatiſſimus, de quo ſupra: hunc ab incredulis legi velim, & videbunt plurima pro hac veritate exempla & teſtimonia lib. 1. cap. 3, & 2. 8. & 9. quod tamen de ijs tantùm maleficijs intelligi debet, quę non ſunt compoſita ex naturalibus venenis: iſta enim omnibus, niſi à Deo impediantur, nocent & ſæpè mortem inferunt.

Cùm autem maleficia illa, ſeu ſigna quibus malefici vel maleficæ hominibus & brutis nocere ſolent, plurima ſint, difficile fuerit omnia cognoſcere & referre: En pauca & præcipua ex multis; Primò nocent crinibus, & oſſibus ſolis vel mixtis, herbis, feſtucis alijſq; id genus rebus frivolis in terram projectis, quæ ſupergredientibus(quibus tamen ſaga voluerit) variorum morborum & dolorum, imò plerumque mortis certiſſimæ cauſæ ſunt.

Imò cibo & potu, eoſdem morbos inferunt: Alijs enim nocent per comeſtionem pomi ab eis dati, ut ſupra viſum eſt: alijs per eſum offę, panis & aliarum rerum comeſtibilium; de quibus plurimæ exſtant hiſtoriæ: Per potum etiam quemcumque nocuerunt & nocent, ut ſuperiùs retulimus.

Quid amplius? maleficia etiam ſua componunt & fabricāt ex minutis quibuſdā pulveribus, in cibū vel potū infuſis aut nudo corpori affricatis aut in veſtes diffuſis. Et quidem ex his qui atri ſunt, mortem inferunt; qui verò cinericij, vel rufi coloris morbum tantùm.

Js verò quo ſanant ut plurimùm albus eſt: hæc ex confeſſionibus ſagarum apud dictum Remigium & alios citatos habentur.

Quod

Quod tamen non ita accipiendum eſt, quaſi vis iſta ex colore proueniat, minimè ſanè, ſed res tota pendet ex pacto cum Dæmone inito, color autem tantùn deſervit, ne ſagæ decipiantur præbendo unum pro alio

Vtuntur etiam vnguentis albis vel ſubruſis inſtar bituminis, in quibus interlucent permixtæ metalli micæ, & ſimul luteæ candicanteſque guttę ſi unguentum hoc igni injicias, fulgorem, ſtrepitum nidoremque edit, cui ſimilem rem nullam reperies: hoc unguento pleræque ſagæ habent ſemper manus illitas, ut paratam omni tempore habeant nocendi occaſionem: hæc iterum ex confeſſionibus ſagarum.

Nec ſolis rebus morbos & necem inferunt, ſed etiam, quod mirum eſt, ſolo halitu & afflatu: atque hoc modo efficiunt, ut puerperæ cum ſuis fœtibus ſæpè emoriantur, vel fœtum mortuum & immaturum pariant: Vide deſuper dictum Remigium. Sprenger. Pſellum & alios, qui mirabilia hac de re exempla referunt.

Quid amplius? ſolis verbis, minis increpatione, imò & laude, graviſſima damna & morbos inferre, noſtrâ ætate experientia docuit, teſte eodem Remigio lib. 3. cap. 3. & alijs. Vis exempla? Judæus quidam dictus Zambares, prolatis certis verbis mortem repentinam, ad pedes S. Sylveſtri, tempore Conſtantini magni, cuidam intulit, teſte Raymundo in ſuo Anti-Chriſto cap. 26. n. 6. Ipſemet Niderus refert ſe quandam Sagam vidiſſe quæ unico verbo idem hominibus faciebat: Addit ſe aliam vidiſſe, quæ unico quoque verbo prolato collum vicinæ ſuæ torquebat. & invertebat

Cùm Franciſca Secretain, de qua ſuprà, necem beſtijs inferre volebat, illas virgâ percutiebat: hęc proferens, te tango vt te vitâ privem: ita Bognet ſuprà relatus cap. 27. qui addit

addit ſe plures ſagas vidiſſe idem efficientes.

Nec tamen iſta, licet mira, nova ſunt: Homerus refert famoſam illam Circen, verbis ſolis, ſocios Vlyſſis in porcos mutaſſe; quod tamen intelligendum eſt, eo modo fieri, quo homines in lupos tranſmutare dicuntur.

Ariſtophanes quoque refert maleficas Theſſaliæ mirabilia verbis quibuſdam ſolitas facere: nonne ex multarum ſagarum confeſſionibus notum eſt, illas ſuper baculum æquitare, & his verbis prolatis: baculus albus baculus niger &c. ſubitò tranferri? neque tamen improbæ illæ ſagæ his contentæ ſunt: nam viſu etiam tam hominibus quàm pecoribus ipſiſque fructibus & ſegetibus nocent, teſte Spreng. p. 1. q 2. & p. 2. q. 1. 6. & 11. non quòd verba, viſus, cæteraque relata vim illam ex ſe habeant, ſed ex vi pacti, cum Dæmonibus initi, qui ſunt nocumentorum iſtorum propriç cauſę & authores: ſed de his ſatis: veniamus ad alia.

CAPVT II.

Quotuplex ſit Maleficium?

DIco primò: certum eſt ex omnibus Authoribus, & quotidiana experientia diverſa eſſe alia maleficia vltra ſupra relata quæ ob fines diverſos, à ſagis & maleficijs fabricantur & applicantur: Ecce aliqua eaque ferè præcipua

Primo: amatorium ſic dictum, quod in amorem, Veneriſque furias per illud, à quocumque & quomodocumque fiat, quis rapiatur, de quibus optimè & exactiſſimè inter cæteros tractat Grillandus, de ſortileg. q. 3. & 5.

Secundum vocatur hoſtile; per quod intelligitur quicquid

quid in bonis animæ, corporis aut fortunę damnum infert, aut aptum eſt inferre, aut idcirco à malefico adhibitum fuit ut inferat: primùm actu, ſecundùm poteſtate, tertium intentione tale eſt: Quæ in his interveniunt, ut plurimùm frigida ſunt, amara, noxia, & ſanitati hominum adverſantia: quæ meritò venena mala à dicto Grillando dicuntur: Quæ autem in amatorio interveniunt, ordinariè ſunt res calidæ, dulces, amœnæ & gratæ hominibus, caloremque naturalem & carnem accendentes. Inter præcipua hoſtilis maleficij genera hęc ſunt.

Primò: faſcinatio; quæ non poteſt fieri à cauſa naturali; quod ex eo patet, quod nec Hyppocrates, nec Galenus nec ullus veterum Medicorum, qui de omnibus morborum differentijs accuratiſſimè ſcripſerunt, huius morbi mentionem fecerunt. Ex quo fit, ut ex ſolo pacto cùm dæmone oriatur: In quo autem faſcinatio illa conſiſtat, & quid operetur pauci intelligunt.

Dico igitur, non eſt aliud quàm pernicioſa quædam qualitas Dæmonum arte illata, ex pacto inter Dæmonem & maleficum interveniente; quam qualitatem Dæmon per aërem vicinum diffundit, quem infectum, homo reſpirando per arterias ad cor attrahit, qui tantæ efficaciæ eſt, ut illicò labes & tabes ita toti corpori inferatur, ut v.g. malefico te aſpiciente, vel laudante impotens vel aliter læſus & afflictus ſubitò efficiaris: hęc de faſcinatione pro Exorciſtarum inſtructione ſufficient de qua copiosè & ſolidè tractat Vairus lib. 3. cap. 1.

Secundum genus eſt illud quod propriè vocatur veneficium, quodque licet non ſit compoſitum ex vero & naturali veneno, tamen morbos graviſſimos ipſamque mortem non raro hominibus infert; quod eſt contra Wierum, qui erroneè

roneè credit eiusmodi veneficia nocere non posse: sed assertio nostra est expressè D. August. & hodie in scholis ubique recepta: Certè magnus ille Doctor lib. de Civit. illud expressè asserit, ut videre licet cap. 1. *mirum.* §.*magi* 26.q. 5. Itẽ sermone 207. de tempore. & lib. de divinatione Dæmonum Idem habes in Concil. Constantinop. in Trullo. Can. 61. Hoc quoque probatur ex Jure Pontificio, dicto cap. *nec mirum*, & ex constitutione Innocentij VIII. Alexandri VI. Adriani VI. Leonis. X. de maleficijs & incantat. in 7. Decretal. Item ex Jure Civili lib. *Multi.* Cod. de malefic. lib. *eorum*: Quid amplius? leges & praxis Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, & Germaniæ hoc confirmant. De his veneficijs vide mira exempla apud Spreng. in malleo maleficarum parte 2. & Niderum in formic. lib. 5. necnon Grilland. q. 3. & 6. ex quibus agnosces quòd certis rebus & actionibus, quæ secundùm se consideratæ nihil efficere possunt, ijs tamen malefici gravissimè noceant, & non raro necem inferant. Ex quo, vt supra monui, clarè apparet, quòd dictus Wierus eiusque sectatores graviter errent & fallantur, qui sibi persuadent sagas nulli posse nocere, nisi vero ac naturali veneno.

Sunt & alia maleficia quibus utuntur certi malefici, quos sagittarios, assassinos & imaginum fabricatores vocant, de quibus videri potest Delrio lib. 3, sect. 3. q. 4. Spreng, & Binsfeld. videamus sequenti cap. quæ mala, damna, & morbos malefici & maleficæ inferre soleant, & inferre possint.

CAPVT

CAPVT III

Quænam mala, damna, & morbi à maleficis & Sagis ordinarié inferantur, atque inferri poßint?

INcreduli multi, & temerarij quidam Medici, qui negant dari Energumenos, ut ſupra vidimus, negant quoque dari maleficiatos, adeoque omnes morbos quos nos dicimus per maleficia cauſari, eſſe naturales & per remedia naturalia tolli & curari poſſe: ita non ſolū veteres Hippocrates & Avicenna, ſed etiam recentes quidam, cum Levino Lemnio. In eodem errore quidam pernicioſi & ſuſpecti homines verſantur, qui negant dari Sagas. Quid ergo mirum, ſi eiuſmodi morbos per exorciſmos tolli nolint, imò eos ſpernant & prohiberi omnibus modis contendant? ſed bene eſt quod ſacræ paginæ, Iuris utriuſq; ſanctiones, PP, DD, Scholaſtici, Hiſtorici, Poëtæ, ipſiq; periti & Catholici Medici, & ſæculorum omniū memoria, temerarios iſtos, ne dicam Atheos vel hæreticos deſertis verbis condemnent. Quęro primò ab illis bonis Medicis, an illi morbi, quibus à planta pedis ad verticē uſq; Iobus afflictus fuit, naturalis fuerint, & remedijs naturalibus ſanabiles? Quæro ſecundò, an cœci illi, muti, ſurdi, lunatici & alij, quos energumenos fuiſſe probavimus, fuerint tales redditi per cauſas naturales? Quæro tertiò uti ſuprà ſæpiùs: ſi non ſint maleficia, ſeu morbi à Dæmonibus illati, quorſum exorciſmi ad illa tollenda? nonne ut ſuprà eo ipſo quo aſſerunt nullos morbos à dæmone inferri poſſe, Eccleſiā erroris & ſuperſtitionis arguunt? ecce in quantam abſurditatem ſeu potiùs hæreſim & blaſphemiam illi incauti

& cœci homines labuntur, dùm nimis sapere volunt, hoc igitur pernicioso & temerario errore reprobato, ad rem propositam accedamus.

Dico ergo primò, iuxta omnes Authores suprà relatos, qui hanc materiam exactè tractarunt, omnis generis morbos qui per causas naturales causari possunt, posse quoque per maleficia causari, & de facto sæpè causatos fuisse. Hinc non solùm quis fieri potest cœcus, surdus, mutus, claudus & impotens per maleficium (quales ipsemet habui & sanavi) sed etiam Paralyticus, Hydropicus, Epilepticus, Leprosus Asthmaticus; imò etiam in capite, stomacho, ventre, renibus, lateribus, alijsque totius corporis partibus, tam internis quàm externis lædi, affligi, & torqueri, à quibus non nisi virtute Exorcismorum, aliorumque remediorum supernaturalium, uti inferiùs probabimus, maleficiatus liberari potest. Hinc morbi per maleficia hactenus in diversis orbis partibus miseris Personis inflicti, tot & tam diversi sunt, adeòque tot ubique maleficiati, ut numerus vix exprimi possit. Ipsemet (Deum in testem invoco) tot à decem vel duodecim annis habui in Ecclesia nostra maleficiatos, quos ferè omnes, Deo cooperante, sanitati restitui, ut vix sit in tota Civitate Parochia, nec vicinis pagis, in quibus plures à tyrannide dæmonũ non eripuerim, prout sępius dixi, qui omnibus medicorũ remedijs frustrà tentatis ad Ecclesiã nostram, de quorumdam Doctorum consilio, recurrerunt. Si increduli non credunt tot esse ubique quot assero maleficiatos, legant Sprengerum, Niderum, Mengum, Remigium, Delrio, aliosq; Authores Latinos, & inter Gallicos Petrũ de Lancre, & Bognet suprà relatos, imò Ferneliũ, Valesium, ab Heers, & alios plures à dicto Delrio relatos, videbunt errorem suum, & stupenda illisque inaudita agnoscent: si illos non habent, consulant

consulant Religiosos S. Huberti, & Exorcistas, ex quibus mirabilia quæ ibi sæpiùs & novissimè contigerunt, audient: audient, inquam, quòd nuper puella quædam maleficiata & gravissimè afflicta, non solùm virtute Exorcismi & meritis eiusdem S. Huberti, crines magnâ quantitate, pilos, acus, asiculas, & id genus alia verùm etiam magnos clavos, & ferramenta miræ magnitudinis per os cum stupore & admiratione omnium astantium emiserit. Quid amplius? nonnulli cultros ipsos oblongos emiserunt, prout inter alios se proprijs oculis Trajecti vidisse idem Doctor Heers testatur. Vis plura cognoscere? lege dictum Delrio l. 3. q. 4. sect. 5. & ex *illo* audies quid Cornel. Gemma quondam Doctor Medicus celebris in Inclyta Academia Lovaniensi, hanc in rem referat, quod oculis quoq; suis vidit in quadam filia Lovaniensi, Catharina nomine, maleficiata.

Magno, inquit, nisu per posticum ejecit anguillam vivam & perfectam crassitudine pollicali, longitudine sesquipedali, cui squameæ & oculi & cauda universim, ut anguillis solet: post hanc anguillæ eiectionem, tantam humoris aquosi copiam evomuit humano lotio non absimilem, ut spatio duarum septimanarum amas duas facilè implere potuerit, licet in ventre tumor, nulla in toto corpore inflatio exteriùs appareret. Quid ad hæc increduli Medici, & Exorcistarum inimici? Quæro iterum ab illis? an hæc à causis naturalibus procedere potuerint? Sed nec finis stupendę istius historię: post tantam aquę copiam eiectam, tantam quoque pilorum quantitatem eiecit, ut plures pilas justę magnitudinis implere potuerit: ad hæc omnia cum pilis istis, plurima frusta lignorum, & membranarum, carbones, lapides, aliaque plurima, quæ brevitatis causâ omitto, stupentibus Doctoribus Academicis & studiosis, ejecit.

 Vidi

Vidi ego, qui virtute Aquæ Baptiſmalis lapides, calcem, bacellos, crines, & id genus alia, per os ejecerunt: Si hæc ad errorem tuum deponendum tibi non ſufficiant, lege Remigium Sprenger. lib. 1. cap. 4. & alios à Delrio relatos. Quid ad hæc reponeret Wierus ſi adhuc in vivis foret? quid Lemnius, eorumq; ſectatores? quis ſanæ mentis hæc ex cauſis naturalibus procedere crediderit? apage ergò ineptos & ſtolidos iſtos homines, qui omnia quæ ignorant, blaſphemant: videamus aliqua de aborſu, partu difficili, & lactis exſiccatione, quæ tria per maleficium frequentiſſimè fiunt, prout ſępè vidi. De his doctè & accuratè ſcribit Grilland. & Nider. lib. ultimo fornicarij, qui narrat quemdam maleficum in utero cuiuſdam fœminę ſeptem infantes ſucceſſivè per ſua maleficia necaſſe, quæ ſemper abortum faciebat: & quod improbus mulieri fecit, in pecoribus eiuſdem domus cauſavit ex quibus omnibus fœtoſis nullum longo tempore partum vivum emiſit: habui & ego inter maleficiatos, fæminas quaſdam Leodienſes & Gemeppienſes, quæ plures fœtus vel mortuos emittebant, vel qui in utero extinguebantur, quæ tandē vi exorciſmorum partus ſuos fœliciter ediderunt. De pariendi difficultate, quòd per maleficium eveniat, Apulæus, Pauſanias, alijque plurimi fidem faciunt. De tertio mira narrat Spreng. ſcitu digna, maximè pro Exorciſtis, ad quem illos remitto: non enim hic omnia exſcribi poſſunt.

Pręter morbos ſupra relatos, quos tam pecoribus quàm hominibus, ut ſuprà *dixi, inferunt*, etiam frugibus & ſegetibus ſuis maleficijs plerumque nocent. Hinc in eum finem non raró tempeſtates, grandinem ventos, pluviam, & ſimilia ipſi ſeu potius dæmones ex pacto, permittente Deo, excitant, quibus miſeris Ruſticis & nobis omnibus graviſſima damna inferunt, de quibus omnibus mirabilia refert dictus

Henri-

Henricus Bognet, in ſuo exacto tractatu de ſagis cap. 23. 24. 25. 26. 27. 28. & 29. quem ſępius legi & relegi: Authores huius lectio plurimùm proderit Exorciſtis, ſed his omiſſis, veniamus ad præcipuam quæſtionē & examinemus quomodo & per quos Perſonæ maleficiatæ dignoſci poſſint?

CAPVT IIII.

A quibus & quomodo dignoſcendum, utrum quis ſit maleficiatus, an non?

TAnta eſt quorumdam Medicorum abſurditas, cœcitas & ſui oblivio, ut licet nullum credant dari maleficium nec maleficiatos, ſed omnes morbos à cauſis naturalibus (prout ſæpè diximus) oriri aſſerant, nihilominus Superioribus perſuadere nituntur, nullum prorſus exorcizandum, niſi priùs judicium ſuum deſuper tulerint: Et de facto, omnibus modis iam pridem tentaverunt, modòque, ut fertur, tentant omnes exorciſmos abolere, eo ipſo quo Exorciſtas officio illo charitativo, cum graviſſimo Reip. præiudicio & Eccleſiæ contemptu privare moliuntur: quæ probè cognoſcens filios ſuos plerumque per maleficia affligi, varijſque morbis naturaliter inſanabilibus vexari, eorumque pecora emori, fructus terrę & ſegetes varijs maleficijs corrumpi, aquas inſici, contra hęc omnia exorciſmos particulares eoſque efficaciſſimos & ſaluberrimos inſtituit, prout ex Rituali Antuerpienſi, de quo ſuprà videre eſt, in quo verbis diſertis Exorciſta monetur & docetur, ne in his rebus ſemper ſtet judicio medici, ſed ex judicijs ac ſignis in eo aſſignatis, ipſemet judicet, aut certè ad Theologos hac in re verſatos recurrat, prout ſupra diximus, eoquòd, inquit Author iſtius Ritualis

tualis, Instructione 3. experientia doceat plerosque Medicos ferè omnia mala & accidentia hominibus obvenientia, attribuere noxijs humoribus corporum, & rarissimè judicare aliquem veneficio Diabolico infectum: quod à Superioribus illis bene notari velim, qui Medicis eiusmodi contra Exorcistas aures tam facilè præbent, & de eorum consilio Exorcismos omnes Exorcistis inauditis prohibent, cùm tamen ad eos faciendos, Pastores omnes hortari & inducere ex causis præmissis deberent.

Hunc Medicorum abusum & errorem non solùm Rituale Antuerp. notavit, ut suprà monui, sed plures quoque alij Authores: audi unum ex multis, Raphaelem De La Torre sæpiùs citatum. Doctorem Theologum celeberrimum ex Ordine Prædicatorum fol. 168.

Non contradico, inquit, Medicos peritos, ac Religioni Christianæ devotos consulere, ut non irrideant dæmoniacos insultus, sicut quidam eorum faciunt, putantes deliramenta esse, quę de dæmonibus dicuntur, omnia ascribentes morbosis apparatibus. Ecce nostros homines ad vivum depictos: ex quo evidens fit, quòd Superiores illi non benè ægris & miseris afflictis consultum velint, qui eos exorcizari nolunt, nisi Medici illi eos maleficiatos judicent, qui (ut dictum est) vel non credunt esse tales, vel nunquam, aut certè rarissimè, idque fortè à veritate coacti, maleficio eos laborare judicabunt.

Hinc quoque colligere est, quàm prudenter & circumspectè dictum Rituale & Author citatus Exorcistas, qui nondum praxim habent, ad Theologos pro dignoscendis maleficiis, non autem ad Medicos remittant, qui enim id meliùs dignoscere possunt, ut suprà dixi, quàm illi, qui hanc doctrinam ex professo tradunt? certè sæpè citatus Malder.

post

post alios multos, præstantissima pro hac cognitione documenta assignat : audi illos.

Signa ex quibus dignoscuntur maleficiati.

Primum signum maleficij est, si in corpus afflicti immissa inveniantur talia, quæ naturaliter in ea inferri, aut in eo generari nec solent, nec possunt, qualia sunt in stomacho crines, ossa, ferramenta, acus, ligna, lapides & id genus similia, prout suprà retulimus.

Secundum, si omninò subitó quis corripiatur, æger & impotens reddatur, aliàs sanus, maximè si id fiat ad levem sagæ contactum, aut alterius rei, quæ nullum potest talem habere naturalem effectum.

Tertium, si mala eveniant ex ligaturis, imaginibus, characteribus, & similibus.

Quartum, si morbus sit notus, & consuetus, ac remedijs adhiberi solitis nihil minuatur.

Quintum, si afflictus videatur habere puncturas in corde, quasi acu pungeretur, aut bolum in gutture, nunc ascendentem, nunc descendentem.

Sextum, si quis subitò fiat mutus, & iterum restituatur loquela, prout nos nuper vidimus in puero, qui per maleficium, & cœcus, & mutus fuit redditus, atque post dies aliquot virtute exorcismorum perfectè sanatus.

Septimum, si valdè diu angustias magnas patiatur, magnâque violentiâ torqueatur, & nihilominus per intervalla, recreatis viribus, quasi in eodem statu permaneat, & contra vim morbi, diu perduret : signum enim est eiusmodi morbum, instar torturę ab externo agẽte, per intervalla causari, & non esse ab interna partium aut hominum indispositione.

Octavum, si dum nihil prorsus naturalia remedia inveniantur prodesse, exorcismi prosint, aut si adhibitis remedijs

dijs sive naturalibus, sive supernaturalibus; patiens magis affligatur & patiatur.

Hæc ex Maldero, alijsque Authoribus probatis, quibus addi possunt septem alia in dicto Rituali, seu Manuali Antuerpiensi contenta Instructione 3. quæ ibi videri possunt: inter quæ ab Exorcistis septimum benè notari velim, quod longâ praxi & experientiâ contra quosdam incredulos & hac in re peregrinos verissimum comperi, nempè maleficiatum vix Sacerdotem intueri posse oculis saltem fixis & intensis: videbis eum, si reflectionem attentè facias, album oculorum miris modis commoveri, agitari & inverti: ad hoc benè advertat Exorcista non ex me solo, sed ex dicto Manuali alijsque pluribus, qui idem docent, viderunt, & mecum probarunt: Addunt alij in hac praxi expertissimi alia, bene quoque ab Exorcistis annotanda.

Primum, si oculi, aures, frons, tempora, & aliæ corporis partes, oleo benedicto à Sacerdote inunctæ, sudorem quendam emittant, aut aliter immutentur.

2. Si aëre, & tempore aliàs frigido, levem aliquem sudorem quis emittat: hoc signum non semel expertus sum.

3. Si membra corporis quasi ligata habeat, & vires toto corpore cum notabili aliquo languore deficiant.

4. Si totum caput subitò infletur, & oculi turbentur: hoc quoque signum non semel expertus sum.

5. Si quis ita se defessum absque ullo exercitio sentiat, ut impotens reddatur, & vix se movere possit.

6. Si in facie color cinericius, vel alius insolitus & deformis appareat.

7. Si oculos claros & limpidos habeat, & interim palpebras ita occlusas, ut oculos aperire non possit.

8. Si quis sit valdè æger, & malè affectus, & interim in qua parte doleat, exprimere nescit.

9. Si

9. *Si morbus ſit talis ut à perito Medico dignoſci non poſſit.*

10. Si ſuſpiria triſtitiam quandam inſolitam & mœrorem extraordinarium indicantia, abſque ulla cauſa quis emittat.

11. Si appetitu prorſus deſtituatur, & cibos ſumptos evomat, ſtomachumque quaſi clauſum & ponderoſum habeat.

Denique (quod multi Authores & Exorciſtæ adverterunt) ſi quis vel manibus, vel capite, vel toto corpore, tempore exorciſmi commoveri & tremere notetur, qui extra exorciſmum nec tremit, nec aliàs tremere conſuevit, ſive aliquam crucem Reliquijs & alijs rebus ſacris v.g. ſacrâ cerâ repletam, de qua fusè ſuprà, geſtet, ſive non, quod enim aliqui obtrectatores objiciunt: illos quos aſſerimus maleficiatos, non tremere extra Eccleſiam noſtram, coram alijs Exorciſtis, vel niſi crucem noſtram habeant, eſt impudens mendacium & commentum aliquoties ſuprà refutatum.

Dico igitur, nonobſtantibus quorumdam Medicorum & aliorum obloquijs ac convitijs, inter omnia ſigna maleficij, iam relata, dictum tremorem ſi fiat, ut dixi, maximè attendendum eſſe tanquam ſignum maleficij moraliter certum, quod ab Exorciſtis bene notari velim. Vnde autem & à quo tremor ille procedat, non ita nobis notum eſt. Hanc ſanè quæſtionem viris doctis ſæpè propoſui, qui rem dubiã & obſcuram, omnibus diſcuſſis cenſuerunt: mihi admodum probabile videtur, illum à Dæmone procedere, qui licet corpus maleficiati non poſſideat, ſive in eo ſedem & domicilium non habeat, illud tamen quodammodo obſidet & circumvallat, ut maleficium quod corpori ingeſſit, conſervet: Hoc tamen de maleficio interno tantùm, dici poſſe

mihi videtur: de externo enim maior est difficultas.

Pro hac mea opinione, forma exorcismi facere videtur quæ est talis. Adjuro vos per magnum nomen Domini nostri Iesu Christi ne ampliùs appropinquetis huic creaturæ Dei ad inferenda, vel in ea conservanda maleficia: Deinde, non est propriè maleficium, quod homines cruciat & enecat, ut suprà dixi, sed ipsemet Dæmon illo posito ex pacto cum maleficis inito, prout sæpiùs dictum est: ad quod videtur requiri, ut maleficiato aliquousque appropinquet ad nocendum, & conservandum illud maleficium: Hoc ipsum Dæmones tempore exorcismorum adjurati agnoverunt, ut suprà vidimus in historia sororis Magdalenæ, & alibi.

CAPUT V.

An per remedia naturalia, tolli possint maleficia, & maleficiati sanitati restitui?

DIco primò: Relictis varijs tam Medicorum quàm Theologorum quorumdam opinionibus, Certum est res corporeas in naturam Angelicam corporis expertem, nihil ex se & directè posse: imò credere, quòd herbæ quædam, radices, fumi, & id genus alia, uti putarunt Lullus, Mathiolus & alij. Dęmones expellere, & maleficia tollere possint, absurdum & erroneum foret.

Dico tamen secundò: Quædam medicinæ & herbæ, indirectè & mediatè interdum Dæmones ejicere possunt, & amovere maleficia; quia fieri potest, ut impediant vel auferant dispositiones, quibus Dæmon usus fuit, ob naturalem

lem habitum corporis illius, quod vexat vel lædit, ratione complexionis atrabiliariæ, vel similium causarum.

Hoc modo fieri non repugnat, quòd quidam dicunt, aliqua maleficia mediis naturalibus in totum tolli posse: si v.g. maleficium ex solis causis ita factum esset, ut dæmon cum illis nihil ex suo misceret, quòd certè raro admodùm, aut nunquam contingit. Si verò (ut ordinariè fieri solet) ex suo quid huiusmodi immiscuit, remedia omnia, quæ dicti authores tradunt ad pellendos dæmones, vel tollenda maleficia, ex parte juvare & prodesse poterunt, modo suprà dicto, in totum & perfectè juvare, nullatenus. Et ratio est evidens: in priori enim casu, poterunt illę dispositiones, quibus dæmon utebatur, in totum tolli, in posteriori autem, ex parte tantùm, vel certè ad tempus impedirī: Et sic etiam in priori casu actio dæmonis in totum tollitur, in posteriori remittitur tantùm, & ad tempus impeditur. Deinde etiamsi dæmon uteretur interdum solis venenis naturalibus, quia tamen, permittente Deo, solet ordinariè vim & activitatem remediorum naturalium, quæ alioqui ista venena tollere possent, debilitare & impedire; hinc fit ut maleficia naturalibus remediis vix unquam tollantur: quæ omnia ab Exorcistis medicis & aliis, qui hæc non norunt, benè notari velim.

Dico 3. quando nullæ sunt dispositiones in Energumeno quæ Dæmoni serviant ad intrandū vel manendū, tunc nequidē indirectè Medici eos juvare minùs liberare possunt. v.g. si quis per nudam Parentum imprecationem, vel ex mero maleficio, puta comestione pomi vel alterius cibi, aut potus fiat Energumenus, & Medicus talem quibusdam pharmacis (prout quidam ex illis tentavit) expellere vellet, talis profectò se ludibrio omnium exponeret. Cùm igitur ex dictis appareat non superesse alia remedia, nisi supernaturalia, examinabimus cap. sequenti quæ illa sint.

CAP.

CAPUT VI.

Quod sola remedia supernaturalia maleficiatos sibi restituere, & maleficia tollere ac exstinguere possint?

EFfatum illud prudentis mulieris de Christo: *Bene omnia fecit*, verissimum hîc ostenditur: sicuti enim contra morbos spirituales remedia efficacissima instituit, puta Baptismum ad tollendum & remittendum peccatum originale, Sacramentum pœnitentiæ, contra peccata actualia, V. Sacramentum in cibum animæ, ita & contra morbos corporales plura remedia instituit, ipsosque Medicos ordinavit. Verùm, quia illi sunt duplicis generis, alij ex causis naturalibus provenientes, alij operâ dæmonum & sagarum contra prioris generis morbos plura remedia naturalia instituit; contra secundi verò, supernaturalia, eaq; plurima quæ sola, ut dixi, maleficiatos sanitati restituere, & maleficia tollere possunt, quę proinde Exorcistis, imò & Pastoribus omnibus (in quorũ gratiã multa hîc notavi) scitu necessaria sunt, ut ovibus suæ curæ commissis, quas fortè continget per eiusmodi maleficia affligi, vel in pecoribus damnificari, illa impendere & applicare possint. Cùm interim nec omnes remedia ista norint, nec libros ex quibus desumere possint semper habeant. Ecce breviter & clarè suppedito.

Primum igitur remedium ab exorcistis & Pastoribus benè notandum & practicandum est hoc; Ut energumenus vel maleficiatus ante omnia tollat morbos animę, ob quos frequenter & morbi, & maleficia, permittente Deo, inferuntur. Unde, nemo, quantum fieri potest, exorcizandus est, nisi

nisi priùs veram peccatorum confessionem præmiserit : quæ ut bene fiat moneri debet, ut sedulò examinet, an nullum peccatum in prioribus confessionibus, ex pudore vel metu omiserit, maximè si sint filiæ, quia plures propter hunc periculosum pudorem à Deo punitas & maleficiatas deprehendi. Si igitur pudor ille integritatem confessionum impedivit, nihil exorcismis suis efficiet, nisi priùs eiusmodi filia, in anima per generalem confessionem perfectè curata fuerit.

Doceat autem Exorcista quod perfecta illa curatio, ad tollendum maleficium, & dæmonem pellendum necessaria, obtineri non possit, nisi per dolorem de peccatis, propositum emendationis & integram ac debitam confessionem: quantùm hoc primum remedium conducat, longâ experientiâ didici.

Secundò: monendus est seriò & sæpè, energumenus atq; maleficiatus, ut nunquam recursum habeat, nec ad sagas & maleficos, petendo ab illis panem, vel quid simile, nec ad certas mulierculas vehementer de magia suspectas, inquirendo de qualitate & causa morbi, & permittendo se, in eum finem mensurari (qui abusus) prô dolor, est hodie ita frequens, ut in multis locis, plures ad illas, quam ad Ecclesiam recurrant: qui interim, licet diabolicus, & non tollerandus multiplicabitur, & indubiè propagabitur, si exorcismi prohibeantur: quod ab omnibus, quibus illos tollere & impedire incumbit, bene notari velim.

Tertiò, monendus quoque maleficiatus, ut vivâ & verâ fide, nec non magnâ spe, se armet: fide quidem, firmiter credendo, nonnisi ex Dei permissione se esse energumenum, vel maleficiatum, aut propter peccata aut ob alias justas causas ipsi soli notas: spe autem absque hęsitatione, expectando,

invitis omnibus Dæmonibus atque ſagis, â Dei bonitate & miſericordia, mediantibus remedijs ab eius Eccleſiâ inſtitutis maleficij, licet graviſſimi & inveterati ſolutionem, & extinctionem, vel dæmonum quantumvis obſtinatorum & ſævorum expulſionem, ac priſtinam ſanitatē ſi vel quando ſaluti ipſorum expedire judicaverit: Erigatur inquam, & quantum fieri poteſt, energumenus vel maleficatus ad hanc fidem & ſpem: ſi enim propter morbi gravitatem, vel dæmonis pertinaciam de liberatione & ſanitate deſperet, exorciſta nihil, aut parum prout longa experientia nos docuit.

Quartò: monendus eſt obſeſſus, vel maleficiatus ut quando Exorciſta ex ſignis certis & evidentibus, agnovit morbum ex maleficio procedere, ipſi potiùs credat, quàm certis Doctoribus, qui ut ſuprà nullum tale agnoſcunt: ſi enim omiſſis remedijs ſupernaturalibus, quæ ſola ut diximus maleficium tollere poſſunt, ad Medicos recurrat, oleum & operam perdet, pecuniaſque inutiliter conſumet.

Quintò, quando remedijs ad id inſtitutis maleficium ſublatum fuerit & maleficiatus ſibi reſtitutus, uti tantum beneficium ſoli Deo acceptum referat, ſeriò monendus eſt, ne alioquin propter ingratitudinem in aliud maleficium, priore peius & nocentius reincidat, prout ſæpè ingratis contingit, qui poſt ſanitatem miraculosè reſtitutam, vitam peiorem quàm antè ducunt.

Sextò: Inducendus quoque maleficiatus ad frequentem Euchariſtiæ perceptionem, quæ quantum fieri commodè poteſt, ante exorciſmos præmitti debet, & ſæpè reiterari: incredibile enim eſt quantum, cum magna fide & devotione illam ſuſcipienti proderit.

Septimò, ut faciliùs à Deo ſanitatem obtineat, ſit in pau-
peres

peres (si media permittant) misericors eumq; in finem certas eleëmosynas distribuat, aut si non potest, pro pauperitus & afflictis Deum oret, additis, si vires permittant, jeiunio & ferventi oratione, hæc quidem observanda ex parte maleficiati: ex parte autem Exorcistæ, quæ sequuntur, bene & accuratè observanda.

Primò, omnibus suprà dictis sese pariter armabit, nec non vivâ fide, puritate animæ & corporis, charitate & misericordiâ, patientiâ summè in hoc munere necessariâ, in humilitate, soli Deo totum attribuens, quando videt fœlicem suorum exorcismorum exitum & effectum.

Secundò: In sacrosancto Missæ sacrificio, quod exorcismis quantum fieri potest, præmitti debet, magnâ in Deum affectione, oret pro suis maleficiatis & energumenis, eorumque sanitatem & liberationem à misericorde Deo per merita matris suæ, Sanctissimi Joseph, & Sanctorum, quos præcipuè colit, cum magna fide postulet, eoque peracto, utatur cum magna fiducia & charitate potissimo remedio, exorcismo scilicet, ad hoc proprio, idque non semel aut iterum, prout aliqui faciunt, sed sæpius donec tremor cesset, color & appetitus viresque restituantur.

Dixi, ad hoc proprio; quia nec Rituale Romanum, nec Leodiense nostrum, habet proprios ad hoc exorcismos. Vnde mirum est, quòd aliqui ex adversarijs nostris, velint obligare & ligare Exorcistas ad dictum Rituale Leodiense; sed prout sæpius repetij, hoc ex ignorantia & defectu studij procedit: author igitur sim, ut Exorcistæ sibi comparent Manuale illud Antuerpiense, à viro doctissimo ex varijs probatisque Authoribus collectum, & prout dixi, ab Episcopo toto Belgio celeberrimo approbatum atque pro maleficijs, exorcismis tertiâ parte contentis utatur

Tertiò

Tertiò: quamvis exorcismi prout ibi continentur ab Exorcista perito & dictis virtutibus armato, sint magnæ efficaciæ & virtutis ad sanandos maleficiatos, nihilominus alia supernaturalia remedia illis adjunget, hæc nēpe Aquas sacras, lustralem, baptismalem, & Gregorianam, quæ omnes devotè & cum fide sumptæ, maleficia ejiciunt, & Dæmones expellunt, prout suprà vidimus.

Quartò: ut hæ aquę sint maioris virtutis illis imponatur aliquid ex dicta sacratissima cera, & à maleficiato jeiuno quotidie sumatur: exprimi enim vix potest, quantæ sit efficacię & Dæmonibus formidabiles, ob sacrarum rerum quæ in illa continentur mixtionem, ut satis mirari non possim tantam hominum quorumdam, qui docti & pij videri volunt) audaciam & temeritatem ut eam reprehendere, rejicere, & tanquam superstitiosam habere nō vereantur. Sed quia hanc illorum temeritatem ex quadam ignorantia procedere suprà probavimus, mixtionem quam carpunt, & sacræ illius ceræ in Ecclesia vbique usum, & dignitatem suprà defendimus(ex quo fit ut communiter gallicè vocetur, *la dignité*, Viderint adversarij an Ecclesiam carpere velint, Patres Capucinos, aliosque plures Religiosos, qui ut superiùs dixi, illam maleficiatis porrigunt, ut virtute illius sanentur aliis verò ut illam devotè gestando ab omni maleficio præserventur, sed de cera satis: Exorcistas vlteriùs instruamus.

Quintò igitur: illis omnibus præstitis, omnes cibi, potus & medicinæ, si fortè à Medicis præbeantur, particulari benedictione sanctificentur, quam in rem, formam particularem in dicto Manuali, parte 3. invenies.

Sextò oleum olivarum, quoque benedicatur, cui utilissimè adiunges flores hypericontis, modò tamen illa herba vel sola, vel cum dicto oleo benedicatur: in quem finem, habes

bes quoque in eodem Manuali particularem benedictionẽ: illam enim herbam, ideò pleriq; vocant fugam Dæmonum, quia Dæmones expellendi vim habere existimant: ita Lullus lib. 2. de quinta essentia. Mathiol. in Dioscoriden, & alij plures Medici satis celebres, quòd & admittunt magni Theologi & Authores suprà citati, modò tamen benedicatur ita Mengus, Delrio, Thyræus & alij.

Septimò: dictum oleum benedictum vel purum, vel ut suprà mixtum cum floribus hypericonis (qui oleum ad solem expositum rubeum, instar sanguinis reddunt) cum grano dictę ceræ bibendum malefico præbeatur & frons tempora necnon manus & pedes, ipsaque pars in qua dolor pręcipuè sentitur, illo oleo, in formam crucis inungantur: huius enim sumptionis & unctionis virtutem longo usu experti sumus.

Octavò: utilissimum quoq: fuerit, tempore exorcismi, uti incenso benedicto, vel suffitu hypericonis etiam benedicto quæ duo, ut sint majoris virtutis expedit ipsum ignem benedicere, prout invenies in Mengo cuius incensi & suffitus necnon ignis benedicti vis & efficacia, ex ipsis formis quibus benedicuntur, colligi potest; quod bene notari velim ab Exorcista, sed moneo, ut dum fit suffumigatio addat & repetat orationem tertia parte contentam, quam hic exscribam ut ad manum habeat.

Oratio dicenda & repetenda tempore incensi vel suffumigationis.

DOmine Deus Omnipotens, cui adstat exercitus Angelorum cum tremore, quorũ sævitium spirituale & igneum esse dignoscitur

citur, dignare respicere, & bene ✠ dicere habitationem istam, vel creaturam tuam N, ut omnes languores, omnesq; infirmitates, cunctæq; insidiæ inimici, odorem huius incensi sentientes, effugiant & separentur à plasmatibus tuis, & ab eorum habitatione (vel à creatura tua) ut numquam lædantur à morsu antiqui serpentis pretioso sanguine filij tui redempta. Qui tecum vivit & regnat in unitate spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Postremò quando Exorcista maleficiatum, vel energumenum à dæmonum tyrannide liberavit, ipsum seriò moneat eique inculcet ut pro tanto beneficio, gratias Deo referat, & vitam in melius commutet, memor quamdiu vixerit tanti beneficij. Ipse verò Exorcista antequam illum dimittat, idem faciat legendo super liberato, gratiarum actionem folio 188 contentam. Insuper ne maleficiatus postquã semel liberatus fuit, iterum ab ijsdem sagis vel alijs (prout sæpius contingit) maleficietur, pium scriptum, seu amuletum sacrum v. g. nomen Iesu, Evangelium Sancti Ioannis, symbolum Apostolicum, vel illud quod tradit Mengus, cum grano dictę ceræ sacræ ad collum liberati appendatur, & ab eo cum magna fide & devotione deferatur, quam appensionem & gestationem reprehendere ac superstitionis aut magiæ insimulare, temerarium, impium, ne dicam hæreticum, fuerit: hæc sunt præcipua, quæ Exorcistæ in exorcismis suis contra maleficia benè & sedulò observare debent, si illud arduum & tœdiosum officium cum fructu obire velint. Quoniam autem ad expellendos dæmones ab energumenis, major praxis, cautela & industria requiritur, pro omnimoda Exorcistarum instructione, adjiciam omnes instructiones ad id necessarias, ex authoribus probatis desumptas & longâ praxi ac experientia à me observatas.

CAPVT VII.

In quem finem, & quo in loco maleficium à maleficis poni soleat, quidq; de eo fieri possit & debeat quando reperitur?

SCire debet Primò exorcista, inter maleficos, & dæmones, pactum eiusmodi solere intervenire, ut quamdiu signum aliquod positum fuerit, v.g. glomus crinium simplex vel mixtus cum ossibus, acubus, assiculis, vel quid simile aliquo loco defossum fuerit, aut certa ligatura perseveraverit, talis annulus gestatus fuerit, alicuius imago, acubus cultris, aut aliter à malefica transfixa fuerit, tam diu duret maleficium, pergatque dæmon homini in se, aut rebus ipsius noxam inferre.

Scire Secundò debet, posse unum pactum, vel duplex intervenire: primò quidem ut inter dæmonem & maleficum conveniatur, quod tali signo applicato, dæmon teneatur nocere. Secundò si inter eos conveniatur, ut dæmon tali signo adhibito noceat ad mentem malefici, & eo remoto nocere desinat.

Scire tertiò debet, non licere novo maleficio signa magica tollere, aut illa per dæmonem investigare, eo fine ut destruantur: hæc enim absque expressa aut tacita dæmonis invocatione fieri non possunt. Si tamen illa signa magica casu fortuito, aut alio licito modo inventa fuerint, non est dubium, quin possint destrui animo ea irridendi & contemnendi, aut artem magicam vanitatis arguendi.

Similiter, non solùm Exorcistæ, sed etiam cuilibet Laico licitum est ea destruere, ne per ea Deus offendatur, aut pro-

 ximus

mus peccare pergat: ficuti licet, imò laudabile eſt idola deſtruere, ne Deus Idololatriæ peccato offendatur.

Dubium quoque non eſt, quin omnibus licitum ſit vitare & declinare ſigna aut loca, in quibus eiuſmodi ſigna magica ſeu maleficia poſita creduntur, ad noxam dæmonis declinandam.

Denique licet aliqui nimis ſcrupuloſi, & fundamento minùs ſolido inhærentes crediderint non licere ea amovere, ut ſanitas per eiuſmodi amotionem recuperetur aut aliud nocumentũ evitetur, licet iſta amotio fiat per propriã hominis actionem, abſque ullo dæmonis commercio, tu tamen liberè & abſque ſcrupulo, ſi contingat te eiuſmodi maleficia reperire contrarium practica & deſtrue animo recuperandi ſanitatem: imò, in eum finem quàm poteris diligentiſſimè loca, quæ tibi ſuſpecta fuerint perluſtra, & dicta ſigna inquire: hæc enim licere, docent hodie omnes Theologi.

Sed quæres? quibus in locis ſoleant malefici ſigna illa magica, ſeu maleficia ſua ponere, ut reperta deſtruere poſſis.

Dico primò, quia ſolliciti ſunt ne illa reperiantur, & reperta deſtruantur, ſicque peſſimum ſuum intentum non aſſequantur, occultant illa quàm poſſunt cautiſſimè, & interdum in locis de quibus minimè cogitatur, ponunt & abſcondunt: Ex quo fit ut rarò inveniantur, maximè ab iis, qui experientiam illam non habent.

Dico tamen 2. ex praxi & experientia compertum eſt, ea interdum poni in domo, vel in limine domûs maleficiati, ſed maximè in lectis, prout ſæpè cum Mengo, & aliis Exorciſtis deprehendi. Vide eundem Mengum, virum, ut ex ſcriptis eius videre eſt, doctiſſimum, & ut ſuprà dixi, Exorciſtarum magiſtrum: Is in Fuſte dæmonum cap. ultimo teſtatur id

in Italia

in Italia notissimum,& inter varia exempla, refert unum de quodam Parocho, qui omnibus remediis frustrà tentatis, tandem veritus ne morbus,quo detinebatur à maleficio procederet, ad remedia ab Ecclesia ordinata recursum habuit, & interim de consilio Exorcistarum lectos expurgari & perquiri fecit, in quibus multa signa magica inventa fuerunt: quę in ignem benedictum injecta fuerunt. Tu igitur,quicunque munus exorcizandi assumpsisti, idem fac circa eos,quos maleficiatos inveneris. Hoc ego, prout suprà dixi, sæpiùs practicavi cum maximo maleficiatorum bono, qui signis illis combustis, statim perfectè convaluerunt.

Sed, quia, ut monet idem Mengus,dæmones ad instantiã maleficorum, maleficia renovare singulis mensibus solent, nisi impediantur,prout in dicto Parocho factum fuisse testatur, Tu, pro maiori securitate utrumque facias, si expedire judicaveris, cures inquam, singulis mensibus, lectos aperiri, & vi exorcismorum, quos in domo maleficiati cum magno zelo facies, manda omnibus dæmonibus sub omnibus pœnis, quas Ecclesia ipsis imponere solet, ut signis magicis inventis & destructis, non audeant illa quocumque modo renovare,aut ad id concurrere & cooperari.

Dico 3, quando nec in lectis, nec alibi maleficia dicta inveniuntur,ne ideò desperes de sanitate maleficiati, sed ædes benedic & exorciza cũ magna fide & zelo, ut suprà,sed maximè thalamum in quo æger requiescit.

Præter exorcismum ad hoc proprium incensum benedicatur,& fiat in dicto thalamo,& loco in quo requiescit maleficiatus, imò in omnibus partibus domus, suffumigatio, & loca omnia aquâ lustrali aspergantur, & toto tempore exorcismi cereus benedictus accendatur.

Dico 4. his omnibus prę stitis. mandetur, ut suprà, omnibus

bus dæmonibus ut maleficium ; ubicumque positum fuerit, penitùs destruat & dissolvat, nullâ eius parte relictâ : Quòd si per Sagam maleficium alicubi positum fuerit, omnes pariter pœnæ Ecclesiæ possibiles, vitâ salvâ ipsi imponantur perferendæ sine intermissione, donec illud dissolverit: ipsam enim pœnis impositis cruciari, & ex confessione dæmonum, & experientia constat.

Dico postremò, maleficia inventa igne benedicto comburi debent.

APOLOGIÆ

Pro Exorcistis, Exorcismis Catholicis, Energumenis & maleficiatis, & ab incubis Dæmonibus molestatis.

PARS TERTIA

DOcuimus suprà quomodo & qualiter quibusvè signis & indicijs, dęmoniaci atque maleficiati detegantur, & quibus remedijs maleficium tollatur, ipsique maleficiati sanitati restitui possint & debeant; superest ut tradamus certas instructiones, ad dæmones debellandos, cogendos, coërcendos, & à Dæmoniacis ejiciendos, perutiles, imò necessarias ex pluribus probatisque authoribus, ut supra dixi, desumptas, & longâ praxi atque experientiâ observatas, quarum defectu, doctissimi quique, tam Philosophi, quàm Theolo-

Theologi, hac in re errare & decipi possunt, prout de facto quosdam viros doctos, tam sæculares quàm regulares, nuper errasse & deceptos fuisse demonstravimus, & ex sequentibus clarè constabit. Verum quia plurimos Pastores audio passim errare, quo ad ordinem exorcistarum eorumque potestatem, ut eos ab errore liberem, doceamque majorem habere potestatem in hac functione quam ipsi putent, antequam veniam ad instructiones quædam documenta doctrinalia præmittam, quæ ab omnibus Pastoribus (in quorum gratiam, hæc annoto) benè adverti velim.

CAPVT I.

Continens quædam documenta doctrinalia, quibus potestas omnium Exorcistarum, adeoq; Pastorum ostenditur, & demonstratur.

DOCVMENTVM PRIMVM

MIratus sum sæpè, cur plerique Pastores, ægros suos, de maleficio & obsessione suspectos, ad me fermè quotidie hactenus remiserint: præcipuam huius rei causam hanc esse detexi, quia scilicet ipsi credunt se non habere potestatem, exorcizandi; in quo certè plurimum falluntur. Scire enim debent ex vi ordinis illàm æquè sibi ac mihi competere: & ut rem totam intelligant, sequentia puncta notent & advertant. Primò quidem relictam à Christo Ecclesiæ potestatem, & virtutem quandam, contra omnem adversitatem, tam corporalem quàm spiritualem, non tantùm à Dæmonibus provenientem, sed etiàm à quocumque con-

contrario: & hæc potestas concessa fuit Apostolis, ut videre est Matth. 10. Marc. ultimo, Luc. 10. quibus dedit potestatem omnes morbos & infirmitates à quacumque causa procedentes curandi. Secundò hanc virtutem, ab obitu Apostolorum & Discipulorum, omni ferè sæculo & ubique non omnibus, sed certis quibusdam sanctis & alijs Deo charis fuisse concessam. Tertiò præter hanc virtutem, omnibus Ecclesiæ ministris legitimè ordinatis, inesse quandam potestatem permanentem, ex vi cuius, applicatis applicandis, sequitur semper effectus à Deo, & Ecclesia intentus.

Hâc potestate utuntur Ministri Ecclesiæ, in benedictione salis, aquæ, cereorum, ramorum & similium, ut illorum virtute Dæmones fugent, impediant & comprimant. Quartò: hanc virtutem Ecclesiæ relictam, distingui à potestate data Exorcistis, in sua ordinatione, eò quòd dicta Exorcistæ potestas proveniat à charactere, & Ordinis collatione, inhæreatque subjecto, & directè tantùm in Dæmones dirigatur, ut ex forma quam inferiùs referemus evidenter patet: virtus autem Ecclesię relicta, ad omnia fertur, quæ saluti & quieti fidelium adversantur, etsi à causis naturalibus procedant: Quintò: ex quo apparet quòd Exorcistarum officium non propriè referatur ad morbos infirmitates & huiusmodi, nisi in quantum à Dæmonibus procedere videntur.

DOCVMENTVM II.

Ex præmissis colligitur, circa morbos, eiusmodi infirmitates, aëris corruptionem, grandinem, tempestatem, non esse utendum exorcismis, nisi moraliter constet à dæmonibus fieri & concitari.

DOCUMENTUM III.

Notent quoq; Exorcistę, in morbis & infirmitatibus à dęmonijs causatis, omnes suas actiones & exorcismos, ad hoc terminari, ut Dæmones nocere cessent, & ut maleficium tollatur: cæterùm morbus jam causatus, & humorum inæqualitas sive corruptio introducta in corpus infirmi non tollitur præcisè & ordinariè exorcismis, sed medicinæ corporales addendæ & adhibendæ sunt, quæ tamen benedictione speciali in manuali appositâ benedicendę sunt, ut per preces & orationes Ecclesiæ majorem virtutem & efficaciam habeant: Et ratio est, quia potestas Exorcistæ propriè ad hoc tantùm ordinata est, ut dæmon fugetur, coërceatur, impediatur, non ut sanitas conferatur, maximè si proveniat ex humorum corruptione & inæqualitate.

DOCUMENTUM IV.

Quod verò ad medicinas attinet, quas plerumque expedit maleficiatis dare, licet quidam Exorcistæ ex quibusdam Authoribus illas præscribant & porrigant, id tamen nullo modo consultū, ob multa pericula quæ inde evenire possunt. Unde, quod hactenus feci, ab omnibus fieri & observari velim, ut scilicet, pro eiusmodi medicinis ad bonos & Catholicos Medicos, qui maleficia dari credunt, remittantur.

DOCUMENTUM V.

Licet ordinarij eorumque Vicarij pro suo officio & munere invigilare possint, imò debeant, super Exorcistis, ut piè, castè, & prudenter, atque approbatis ab Ecclesia exorcismis utantur, imò illud officium, illis interdicere, si potestate suâ abutantur, scandalosè vivant, & exorcismis suspectis utantur: attamen ex natura rei & regulariter non in-

diget

diget Exorcista aliquâ approbatione aut potestate aliâ, quã Ordinis ad exorcizandum, quia exorcizatio est actus Ordinis & potestatis in ordinatione acceptæ, absque alio respectu & potestate concurrente: quod ut meliùs intelligas hãc ab omnibus receptam doctrinam propono: sicuti eo ipso quo es ordinatus Subdiaconus, Diaconus & Sacerdos tibi licet absque alia facultate cantare Epistolã, Evangelium, & Missam celebrare, ita hoc ipso quo tu es ordinatus Exorcista absque alia potestate aut approbatione ex vi potestatis tibi collatæ, potes non solùm tuos Parochianos exorcizare, sed alios quoscumque, quando tibi constiterit, saltem moraliter, esse maleficiatos, vel etsi aliquo modo dubites, saltem sub conditione mentaliter restricta: Et ne putes hanc doctrinã esse meam, illam in terminis invenies in Navarro, de officio Ordinarij, Consil. 5. Hugol 1. eodem titulo cap. 47. n. 6. Sanchez in Decalog. lib. 2. cap. 42. n. 18. Portello v. exorcismus, Delrio post librum 6. monitione decimâ, qui ita scribit.

Hoc officium, exorcizandi, est proprium Pastorum Ecclesiæ, & in eorum absentia, cunctorum, qui saltem Ordine Exorcistarum præditi sunt. Vides, quomodo Pastores illi falluntur, qui putant sibi illud non licere absque potestate Ordinarij, quam nullus, quod sciam hactenus requisivit, aut requirit: imò idem Delrio eodem loco sequentia addit, ab omnibus maximè Ordinariis bene notanda. Videntur monendi Prȩlati, ne in suis Diœcesibus permittant esse aliquos privatos, qui quasi ex officio & virtute peculiari exorcizent. Et immediatè subjungit, *nam hoc officium est proprium Pastorum &c.* Ex quibus liquidò constat, omnes Pastores tantam habere potestatem atque habeo, ipsisque incumbere, ut Parochianos saltem suos maleficiatos exorcizent, & in eum finem

nem Manuale Antuerp. sibi comparent, atq; cęremonias addiscant.

Quid ampliùs, hanc doctrinam tanquam certam & indubitatam novissimè tradit Petrus Marchant tom. 3. Speculi sui sive Tribunalis, parte 1. tract. 6. q. 3. qui non solùm omnia à me dicta fermè de verbo ad verbum tradit, sed ad rationem dubitandi, quam quidam movere possent, ex Synodo nostra Leodiensi titulo X. cap. V. ita respondet, & hæc subjicit.

Hinc si quæ prohibitio ab Episcopis in hac materia fiat, dicendum est *illam* terminari non ad prohibendos, vel permittendos exorcismos, sed ad cognoscendum de personarum idoneitate, sive potiùs ad avertendum personarum abusus.

Unde positâ personarum idoneitate & prudentiâ ac bono usu, Episcopus prohibere Exorcistam non potest.

Hactenus Petrus Marchant, Theologus toto Belgio celeberrimus. Nec his contentus, hæc addit: Nec Exorcista regulariter indiget facultate, estque prohibitio Episcopalis, prohibitio facti, non juris, quæ tantùm cadit in actuale regimen subditorum, non in potestatem &c.

Ratio autem quare non requiratur in hac functione, approbatio aut jurisdictio, ab eodem redditur, quia tota virtus & potestas exorcismi consistit in invocatione virtutis Dei contra dæmones, & in eorum adjuratione, absque alia potestate vel actione in personam: ex quo fit, ut ubicumq; & in quacumque persona ad nocendum fuerint Exorcistæ subjiciantur, & ab eo appeti, debellari, coërceri, impediri & ejici possit: hanc doctrinam ab omnibus, maximè autem à Pastoribus omnibus, ut dixi, benè notari velim, qui hactenus ex quodam abusu & errore crediderunt potestatē exor-

 cizandi

cizandi ſibi non competere, ſed requiri aliam, quam nullus Theologus, ut ſuprà requirit. His ſuppoſitis ad Inſtructiones veniemus.

CAPVT II.

Quòd ultra poteſtatem exordizandi, quam Exorciſtæ in ſui Ordinis collatione receperunt, multæ Inſtructiones requirantur ad illud munus ritè & cum fructu obeundum.

DOcuimus capite ſuperiori, quòd omnes Paſtores ex vi Ordinis habeant plenariam & omnimodam poteſtatem exorcizandi non ſolùm ſuos Parochianos, ſed etiam alios quoſcumque, idque ſine approbatione Ordinarij, aut eius licentia: ſed quia hæc poteſtas ab illis qui vel non ſtuduerunt ſpecialiter huic materiæ, vel non habent praxim & experientiam, non poteſt ita commodè & fructuosè executioni mandari, niſi inſtructiones ad id requiſitas habeant, legant ſequentes, benè memoriæ mandent, & obſervent: ſi id fecerint, audeo polliceri, ipſos fore brevi perfectos Exorciſtas, multumque boni in Eccleſia præſtituros. Sit igitur ad gloriam Dei, & creaturarum pretioſo eius ſanguine redemptarum incolumitatem, quas (eheu hodie) nimis humani generis hoſtis obſidet & vexat.

PRIMA INSTRVCTIO.

Omnia prorſus quę parte 2. à maleficiatis & Exorciſtis, facienda & obſervanda monuimus ab energumenis quoq; & Exorciſtis, imò multò magis exactè & pertinenter facienda & obſervanda erunt, ſi illud arduū, periculoſum & laborioſum

ſum exorcizandi officium ſecurè, meritoriè, & cum fructu obire velint: omnia quoque remedia, ibidem pro maleficiatis aſſignata, Energumenis debitè applicata plurimùm proderunt.

INSTRVCTIO II.

Quantumcumque Exorciſta in rebus Philoſophicis & Theologicis verſatus fuerit, non ſolùm ſe periculo exponet, ſed & ipſos Energumenos, ſi abſque neceſſariis qualitatibus ab omnibus Authoribus requiſitis, & Inſtructionibus, quas Scholaſtica Theologia non tradit, illud exorcizandi munus aggredi præſumat. Hîc igitur denuò omnes Paſtores & Exorciſtas, qui praxim & experientiam non habent, ſeriò monitos velim, ut omnes libros, vel ſaltem præcipuos ſuprà à me relatos, ſibi comparent, eoſque aſſiduè legant, & memoriæ mandent, aut certè haſce meas Inſtructiones ab illis deſumptas exactè obſervent, & in praxim redigant.

INSTRVCTIO III.

Si igitur perſona aliqua quibuſdam ignotis morbis vehementer afflicta tibi offeratur, de qua vehemens ſit ſuſpicio ne ſit Energumena: hæc duo extrema ſedulò evitabit.

Primùm, non facilè aſſeres illam eſſe Energumenam, potiſſimùm, ſi ſit pauper & mulier, etiamſi apparentia obſeſſionis ſigna videas: ſexus enim fæmineus, fallax & doloſus eſt, aliiſque multis vitiis & imperfectionibus obnoxius, ut optimè monet dictus Petrus Marchant.

Secundùm, caveas tamen ex altera parte, ne,ex eo, quòd quædam repertæ ſunt, quæ obſeſſionem finxerunt, eas omnes idcircò, quæ te accedent, etiam fingere credas; in quo certè plerique delinquunt, prout nuper vidimus: hâc enim ratione fieri poteſt,ut miſeræ perſonæ quæ verè obſeſſæ ſunt,

 repel-

repellantur, & repulsæ omniq; subsidio & consolatione destitutæ, perpetuam dæmonum tyrannidem patiantur, & tandem in desperationem abeant: quod à quibusdam inhumanis & indiscretis Ecclesiasticis notari velim, qui omnes personas afflictas simulationis & fictionis, absque ullo scrupulo insimulant,& à se absq; ullo remedio & auxilio remittunt,prout filiæ nostræ obsessæ repertæ sunt. Prudens igitur Exorcista judicium suũ suspendat,& exorcismos,saltem sub conditione, ut suprà, ad tempus continuet,aliaq; practicari solita, & ad dæmonem detegendum, vel fictionem, si quæ fortè subsit,conducentia, cum magna fide, charitate & patientia practicet & observet,donec certa obsessionis signa,de quibus suprà, advertat.

INSTRVCTIO IIII

Caveat igitur summopere, ne ad primum vel secundum exorcismum, quantumvis exactissimè factum, iudicium absolutum & determinatum ferat, asserendo aliquem non esse obsessum, qui fortè à parte rei, vere talis est,ideoq; auxilio & consolatione dignus,ne suo eiusmodi incauto & præcipitato iudicio illum remedijs necessarijs, cum summo corporis & animæ eius discrimine privet vel privari curet, quod grande coram Deo crimen & piaculum foret, prout in nostris nuper vidimus.

INSTRVCTIO V.

Caveat insuper, ne prophanis ridiculis & ab Authoribus reprobatis probis, aut verbis utatur, ad dignoscendum & investigandum, an aliquis sit vere obsessus (prout imperiti quidam practicant) & nuper practicarunt circa nostras obsessas, qui loco exorcismorum ab Ecclesia ad hoc institutorum, verbis quibusdam Philosophicis, ineptis, & alijs ridiculis utuntur, atque usi sunt, ac pro veris Reliquijs, ossa, & alia

alia quædam ſuppoſititia ipſis admoverunt. Primò enim in nullo Authore probam hanc ab illis factam invenient, imò ut ſupra monui, illa expreſsè ab eis reprobatur, quia dæmon qui omnibus modis in corpore quod poſſidet, latitare cupit ne per exorciſmos, & res alias ſacras apponi ſolitas, crucietur & torqueatur, ad verba illa prophana & ridicula, nec non ad Reliquias ſuppoſititias, ſe cruciari & affligi ſimulat: hinc fit, ut doloſus ille & malignus ſpiritus ad eiuſmodi verba, clamet, ejulet & conqueratur: ad verba autem ſacratiſſima, & ad eum torquendum & expellendum efficaciſſima, imò ad contactum plurium & verarum reliquiarum nihil prorſus dicat imò ita ſe habeat exterius, ac ſi nihil prorſus pateretur, cum interim certiſſimum ſit, ipſum graviſſimè torqueri? Quid amplius? ſi aliquid latino idiomate aut ſtylo elegantiori ipſi mandes, ſimulabit ſe non intelligere, & ut hoc perſuadeat, contrarium prorſus faciet, v.g. ſi quis incredulus, vel inexpertus, mandet ipſi ut ad pedem ſiniſtrum tranſeat, tranſibit ad dextrum, & ſic de cæteris: ſi autem Gallica quid ipſi imperet parebit illico, idque ex profeſſo ut ipſum in errore ſuo, & incredulitate confirmet, ipſique perſuadeat Perſonam quam his ridiculis & illicitis modis, exorcizat, fingere & ſimulare obſeſſionem: hinc factum eſt ut quidam nuper qui defectu lectionis, ſtudij, praxis & experientiæ, has dæmonum fraudes & technas ignorant, probis eiuſmodi, utentes, in turpem errorem Deo & creaturis eius valde injurioſum lapſi ſunt, Deo illud permittente, ut qui has inſtructiones legerint, cautiores & prudentiores hâc in re reddantur.

INSTRVCTIO VI.

Ex hoc igitur illorum errore, ſapiat & cautus fiat exorciſta caveatque ſummopere ne unquam aliquem licet filiam miſeram

ſeram, inopem & mendicantem obſeſſionem ſimulare credat, multo minus ex his vel ſimilibus motivis aſſerat quæ ut vidimus, illicita, periculoſa & reprobata ſunt, niſi alias graviſſimas id credendi & aſſerendi rationes habeat, ne ſe certiſſimo peccandi periculo exponat, cum certum & exploratum ſit, eum quicumque fuerit, qui tam citò & leviter fictionem in afflicto credit & aſſerit, duo graviſſima peccata judicij ſcilicet temerarij & detractionis, in re gravi committere, quorum abſolutionem numquam à Deo obtinebit, niſi famam ſuo iniquo judicio & aſſertione ablatam reſtituat, quod quia difficulter admodum præſtari poteſt, evidens fit in quanto periculo illi verſentur, qui ex unica, inepta, & ridicula proba filias iſtas, quas certiſſimè obſeſſas demonſtravimus, obſeſſionem fingere, non ſolùm in animo credunt, ſed verbo & ſcripto ubique aſſerere non verentur.

INSTRVCTIO VII.

Cùm autem ex ſignis ſuprà relatis certó Exorciſtæ conſtiterit, Perſonam quam exorcizandam ſuſcepit, eſſe verè obſeſſam, antequàm exorciſmos aggrediatur, multa, à Sanctis Patribus & peritis Exorciſtis commendata & practicata ſedulò obſervabit. Primò quidem, ut triduanum jeiunium cum piis & ferventibus precibus præmittat, ſeq; & Energumenam in ſacrificio Miſſæ Deo commendet. Secundò: conſcientiam ab omni labe puram, per veram contritionem & confeſſionem habere ſatagat: licet enim ad valorem exorciſmi in rigore non requiratur ſtatus gratiæ, quia ille non pendet à virtute Exorcizantis, ſed à virtute Chriſti in exorciſmo ſecundùm eius prouidentiam operantis; nihilominùs illegitimè & temerariè, magnoque cum periculo animæ & corporis id aggredieris, ſi ſcias te eſſe in peccato mortali &

voluntate

voluntate in eo permanendi; qui enim in peccato mortali sciẽs ac volẽs existit & permanet, indubiè diaboli membrũ & servus existit: qualiter igitur adversarius eius erit? & quâ fronte dęmonem expugnare, coërcere & expellere tentabit? Sanè perviæ sunt ubique historiæ plenæ illusionibus dæmonum contra Exorcistas malos & peccatores, qui tentarunt, cùm in peccatis essent, ipsos adjurare. Quid si fides Apostolorum imperfecta eos impedivit, quò minùs eos expellerent, quid non faciet peccatum mortale? Videant ergo omnes Exorcistæ ne peccatis gulæ, ebrietatis. lasciviæ, iracundiæ, vindictæ, detractionis, & id genus dediti, huiusmodi ministerium sibi assumant.

INSTRVCTIO VIII.

Præter vitæ & conscientiæ puritatem, maximâ quâ poterit fide, spe, charitate, & humilitate, omnes exorcismos incipiat, & prosequatur, puramque intentionem habere conetur, ita vt purè propter gloriam Dei & Filij ejus Christi Iesu, qui in hoc apparuit, vt dissoluat opera Diaboli, exorcisandi munus suscipiat, & ex sincera & sola charitate in eo procedat, vt creatura Dei ab infestissimo generis humani hoste liberetur, adeoque nullâ temporalis commoditatis vel favoris spe nutriatur. Postremò, vt de suâ virtute, scientia, praxi, aut aliâ dote nullatenus confidat, minùs glorietur, etiamsi plures dæmones expulerit, & omnia ad nutum sibi cedant, memor istius moniti: *Quid habes quod non accepisti, si autem accepisti, quare gloriaris?* Caveat quoque ne illud assumat, vt coram hominibus, pius, justus & virtuosus appareat; sic enim suam omnem mercedem, charitativo isti officio cœlitus paratam, amitteret: Denique, ne sit similis filijs Scevæ, Actor. 19. (qui & vocantur circumeuntes Exorcistæ) in quos Dæmon insilijt, quia, vt notant Inter

 pretes

pretes, erant Exorcistæ quæstuarij, qui ob quæstum & lucrum, quasi circumeuntes, sive circumforanei huc & illuc, se conferebant, vt exorcizarent, qui videntes majorem effectum in invocatione nominis Jesu, quem Paulus prædicabat, putaverunt per istum exorcismum, majorem quæstum facere, quibus ideo rectè dixit Dæmon: *Iesum novi, & Paulum scio, vos autem qui estis?*

INSTRVCTIO IX.

Quia spiritus illi nequam, dolosi, versuti, & rebelles, licet notoriè detecti sint, sæpissime quasi muti forent, ad linguam venire, & se prodere, quantum possunt pertinacissimè renuunt, prout centies experti sumus, & quotidie experimur, Exorcista omnibus modis allaborabit, vt ad linguam eos venire cogat, & loqui, non taliter qualiter sed clarè & distinctè, ita vt ab omnibus audiri possint: Si autem id primò, secundò, tertiò, & pluries reiteratis exorcismis non assequatur, non ideo cesset, nec desistat, sed cum magnâ fide, humilitate & patientiâ, exorcismos continuet, etiam ad plures septimanas & menses & cum illis, applicet Energumeno omnia, quæ Dæmones torquere solent v.g. Reliquias Sanctorum aliasque res sacras, idque in parte, in quâ Dæmon sedem habere videtur, vel ad nares, idque longo tempore, & patienter: Applicet quoque stolam & manus capiti, digitos sacros ori cum magnâ fide imponens; sed caveat diligenter, ne vnquam in hâc actione, hæsitet, aut timeat, licet videatur dæmon velle mordere & de facto mordeat, sed illos profundius in os immittat & ingerat. Ad hæc, aquam lustralem, vel baptismalem, aut Gregorianam, si sit ad manum, sicut & oleum benedictum hypericoni admixtum cogatur bibere & deglutire: & videbis efficaciam istius olei.

addatur

Addatur iſtis omnibus incenſum, prout in maleficiatis diximus, per quod etiam multum cruciatur Dæmon. Candela quoque benedicta igne benedicto accendatur, & madela quoque benedicta igne benedicto accendatur, & manibus Energumeni, cum cautelâ & circumſpectione imponatur, ac geſtare cogatur.

Denique, ipſa crux, & imago B. Virginis, vel oculis obijciatur, capiti, manibuſque imponatur, & videbis mirabilem Dæmonis torturam & cruciatum.

INSTRVCTIO X.

Si interim, his omnibus præſtitis & adhibitis, parere, & ad linguam venire renuat, ne propterea ceſſes, aut deſperes: aliquando enim per menſes, vt dixi, imo & annos, in ſua pertinacia manet, prout nos non ſemel experti ſumus. In hoc igitur eventu, perſevera patienter in tuis exorciſmis & ad ſingulos, his verbis, cum magna fide, Dæmonem aggredere.

Vicit Leo de tribu Iuda.

Et exhibendo ante oculos crucem (ſine quâ, ſi fieri poteſt, nunquam exorcizet) adiungat ſequentia.

Ecce crucem Domini, ecce ſignum redemptionis noſtrę, ecce ſignum confuſionis veſtræ, ideo fugite partes adverſæ: quæ verba ſæpius repetes, idque cum magno zelo & fervore, & tandem Dæmonem parere coges, vel certè, plurimum torquebis, prout facile dignoſces.

INSTRVCTIO XI.

Quia tamen, contingit interdum, prout frequenter experti ſumus, quòd quidam Dæmones, ex ſupremis, vt credibile eſt, ordinibus ita pertinaces & rebelles ſint, vt omnibus præmiſſis non obſtantibus, parere renuant, Exorciſta non ideo abijciat animum, nec exorciſmos intermittat, ſed alia remedia adhibeat, preces, orationes, comminationes

tiones adiungat, astantium preces requirat, & his factis, his verbis illum vel illos si fuerint plures, adjuret. Da gloriam Deo maledicte & rebellis Spiritus.

Adjuro te, per Deum vivum† per Deum verũ † per Deum Sanctum † & per omnia quæ possunt te cogere, & sub omnibus pœnis, quæ sunt in potestate Ecclesiæ, vt sine morâ & læsione ad linguam compareas, nec inde discedas absque meo jussu, atque in eâ existens, ad omnia quæ tibi mandabo, in veritate absque æquiuocatione, & mendacio, ad mentem meam, seu Ecclesiæ respondeas, nec vllam veritatem aut rem aliam, quæ ad expulsionem tuam conducit, celare audeas sub ijsdem pœnis.

INSTRVCTIO XII.

Si nec hoc succedat, prout non semel vidimus, pro vltimo remedio, accipiatur Venerabile Sacramentum, & illud cum magna reverentia digito Dæmoni ostendendo, hunc D. Bernardi exorcismum Exorcista faciat. Adest, ô nequissime & rebellis Spiritus, summa charitas, adest summa veritas, adest Dominus tuus, Deus tuus, creator tuus, Iudex tuus: hoc est illud corpus quod de Mariæ corpore sumptum est, quod de Maria Virgine natum est, quod in præsepe jacuit, quod pro nobis in cruce extensum est, &c. prout invenies in manuali, & graviter Dæmonem increpando, cum magno fervore & zelo, hæc subjunges.

In hujus ergo majestatis terribili potestate, mando tibi vt ad linguam venias, in illâ maneas & ad omnia quæ interrogabo, verum respondeas. Quod, si nec his factis obediat, cum eadem reverentiâ, magnâ cautelâ adhibitâ, capiti imponatur, & his verbis cogatur: Per veritatem corporis & sanguinis Christi in hoc Sacramento veraciter & realiter contenti, mando tibi & impero, vt mihi ministro Christi

Christi, quem hic manibus, licet indignus, teneo, ad omnia obedias. Vel hæc dicat: Dominus Iesus quem hic licet indignus, teneo, te cruciet, torqueat & parere cogat. Addantur improperia, hæc potissimum, Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.

Item. Durum est tibi velle resurgere, durum est tibi contra stimulum calcitrare, qui quantò tardius pares, & exis, tantò maius tibi supplicium crescit, quia pro singulis momentis quibus tardas parere, omnes pœnas Ecclesiæ possibiles tibi impono & contra te invoco Sanctissimam Trinitatem & Dominum Iesum hic præsentem, vltorem tuæ contumaciæ: his postremis armis sæpius Dæmones in principio rebelles debellavi & ad omnia mihi obedire, post longum tempus & patientiam, id tandem coëgi: ne igitur mireris, nec desistas, si in tales Dæmones fortè incideris: recordare quòd ipsi Apostoli non semper contra eos prævaluerint, nec plures alij sancti: verùm mirare mecum, quod quidam harum rerum ignari, & imperiti, hoc in negotio ita cœcutiant, vt credant Dæmonem vno atque altero exorcismo, ad obedientiam cogendum, aut certè, si non fiat ab Energumeno, quod ipsi mandant, statim credant non esse ibi Dæmonem, vel certè dubitant: in quo certè, quàm graviter errent & fallantur, ex dictis evidens est. Tu ergo, illis cautior & prudentior esto, & credas, quod omnia præmissa longo tempore non semel practicaverimus, antequã Dæmon ad linguam veniret, & ad interrogata responderet. Quid autem tibi faciendum sit, cùm ad linguam venerit, & se demonstraverit, sequentibus Instructionibus docebimus, quas proinde benè attende, & memoriæ mandare, satage.

INSTRVCTIO XIII.

Cum Dæmon ad linguam venerit, præsentiæ suæ signum dederit, & locutus fuerit, multa ipsi mandanda, atq; etiam prohibenda veniunt: idque cum magnâ iterum fiducia, prudentiâ & circũspectione, ad quæ proinde sedulò Exorcista advertere debet.

Primò quidem, & ante omnia, per omnia præmissa, & sub pœnis præmissis, ipsi severè inhibendum, vt nec obsesso, nec Exorcistæ, nec astantibus vllo modo in corpore, aut famâ nocere præsumat.

Et licet inter Authores qui hac de re scripserunt, & quidem inter Delrio & Thyræum eiusdem societatis, nonnulla sit controversia: quæ fieri, interrogari, & mandari debeant: hæc quæ sequuntur, securè & absque scrupulo & hæsitatione mandare Dæmoni obsidenti poterit.

Primò quidem, ut ad Christi exemplum, nomen suum dicat absque ullo mendacio.

Secundò, ut absque ulla æquivocatione, dolo & falsitate declaret præcisam causam sui ingressus, necnon tempus etiam præcisum, mensem & diem, quibus intravit.

Tertiò, ut aperiat cum eadem veritate, an sit solus vel an socios habeat: Si asserat se socios habere, cogatur exprimere eorum præcisè numerum & nomina singulorum.

Quartò, urgendus, ut dicat ex quo sit vel fuerit Ordine, & ex quo socij? hoc enim scire multùm Exorcistæ expedit, ut cognoscat contra quem & quos, rem & negotium habeat.

Quinto, cogendus quoque, ut declaret quem inimicum specialem habeat in Cælo, quisve locum eius possideat.

Denique cogendus, ut si sciat, manifestet quo in loco exibit, per quem expelletur, & quibus verbis, rebus & exorcismis maximè torqueatur: hæc omnia bene mandet memoriæ

riæ Exorcista, & sedulò practicet.

INSTRVCTIO XIV.

Si dicat se per maleficium ingressum, ut sępè contingit, cogatur judicare ex qua materia illud sit compositum, per quem & in quo præcisè latitet, imò omnibus modis & sub pœnis præmissis cogatur illud demonstrare, vel penitus destruere, ita ut nihil prorsus ex eo remaneat: Et quod benè advertendum est, ne illud renovari procuret nec ad hoc ullo modo concurrat, aut cooperetur, hanc in rem si maleficium sit extra corpus, cogatur omnibus modis præmissis, ad certum tempus illi assignandum corpus deserere, illud amovere & in signum obedientię ad Ecclesiam deferre ac in loco assignando, collocare & nonnisi illis omnibus præstitis, discedere dato signo sui exitus, quod potest ipsi assignari quidq; dicat Dominicus à Soto, v. g. ut vitrum exeundo frangat, candelam extinguat, vel quid simile. Quod enim illud signum peti possit, non solum alij Authores docent, sed ipsum Rituale Romanum. Quod quidem non ita pridem, fœliciter practicavi, nam cum quidam dæmon, qui parvam filiam ex pago de Grentuille, obsidebat coactus dicere causam ingressus, declarasset se ingressum per maleficium, jussi ut ad tempus discederet, illudque amoveret, & nonnisi amoto rediret, quod tandem ita fecit ut maleficium à limine domus non sine pavore & tremore domesticorum, abstraxerit, qui illud in jecoram incautè projecerunt, quo facto, dæmon ad corpus, tempore ipsi assignato redijt, & in Ecclesia prout jussus erat, exijt, fracto in signum sui exitus quodam vitro.

INSTRVCTIO XV.

Quando constat esse plures dæmones obsidentes, omnibus modis, eorum Princeps sive superior: ad linguam evocetur

cetur: si compareat, & dicat se adesse, jubeatur in signum veritatis non quidem jurare, ut legi aliquos practicare, sed potiùs terram vel crucifixum, aut Imaginem B. Virginis, necnon digitos consecratos deosculari. Si hęc in signum veritatis præstet, cogatur nomen suū, ut suprà, dicere, & ex quo ordine sit, & ex quo socij, cum præciso eorum numero. Si parere renuat, & se rebellem demonstret, utatur Exorcista omnibus modis & remediis suprà præmissis, & si opus fuerit, ex parte Dei subjiciatur omnium obsidentium minimo, & detur ei authoritate divinâ potestas in illum, & licentia ad linguam, absque ipsius dependentia, imò, ipso invito, veniendi. Si minimus hanc potestatem & licentiam sic datam acceptare renuat, eâque uti, cogatur omnibus modis, & sub omnibus pœnis Ecclesiæ possibilibus eam acceptare, cogi quoque possunt singuli eorum ad linguam venire, nomina exprimere, & ad omnia respondere, quæ conducere possunt ad eorum expulsionem: quod non semel practicavi & obtinui.

INSTRVCTIO XVI.

Et quia longâ experientiâ nobis compertum est, quòd etiam aliqui ex Authoribus suprà relatis expresè monent & docent, omnesque Exorcistæ periti annotarunt sæpenumerò, alios dæmones, vel ultrò, vel vocatos à dæmone obsidente, aut etiam à Superioribus missos & coactos, venire ipsi in adjutorium, modis nobis ignotis consiliumque & favorem dare, meminerit Exorcista in principio singulorum exorcismorum cum magna fide & severitate, sub omnibus pœnis possibilibus omnibus, cuiuscumque Ordinis fuerint, mandare & præcipere, ne ullum auxilium, consilium aut favorem dæmoni seu dæmonibus obsidentibus, sive eminùs sive cominùs præbeant: Et hanc in rem dæmoniacum, locaq; vicina

vicina frequenter aspergat: licet enim non semper corpus obsessum intrent, tamen vicina loca occupant, & intra sphæram suam gravissimè miseris energumenis plerùmque nocent, prout experientia quotidiana docet. Ut igitur impediantur accedere, vel si accesserint, removeantur, & fugentur: præter aspersionem aquæ benedictæ accipiat crucem Exorcista, & ad omnes partes illam convertendo, increpet illos his verbis: *Ecce Crucem Domini*, ideò *fugite partes adversæ*: & illis sæpiùs repetitis, hæc adjungat. Per signum & virtutem sanctæ crucis, & per omnia quæ vos cogere, confundere & torquere possunt, mando ut non audeatis huc accedere, vel si accessistis, absque ulla mora recedatis, nec ullum auxilium dæmoni, vel dæmonibus hanc creaturam Dei obsidentibus, præstetis, nec illi ullo modo noceatis: Et ut meliùs hæc mandata succedant, incensum quoque benedictum, sive ex ruta, sive ex folijs, aut semine hypericontis ante obsessum adhibeatur, quod, in quantùm fieri potest, in promptu esse debet: quia dæmones obsidentes per illud, veris, sed miris modis nobis ignotis, torqueri & cruciari certissimum est, prout experientia quotidiana docet, imò accedere volentes per illud impediuntur & fugantur. Quod autem etiam ipsi dæmones obsidentes dum nimis premuntur & torquentur, auxilium illud postulent, quotidie videmus & audimus, dum oculos terribiles ad omnes partes vertunt, ingemiscunt, & dæmones, ore, manibus, aliisque signis & gestibus in suum auxilium vocant, & venire renuentes probris & maledictis afficiunt.

INSTRVCTIO XVII.

Experimur quotitie dæmones quantum possunt obsistere & reluctari, antequam nomina sua declarent, quia prævident illis detectis, se variis modis confundendos contem-

nendos & cruciandos: quando igitur rebelles & contumaces fuerint, ultra media superiùs posita, hoc quoque utatur Exorcista: nomen ipsius, vel nomina, si plures fuerint, in folio chartæ benedictæ magno charactere scribat, acu pungat, & pedibus conculcet, ab astantibus, maximè pueris, si qui adsint, virgis cædi jubeat & conculcari, ac tandem igne benedicto, prout inveniet in Mengo, comburat, & cineres iterum pedibus conculcet, ac conculcari curet. Sępiùs cum dicto Authore aliisque peritis Exorcistis experti sumus, quantùm illis actionibus confundantur, irritentur, & crucientur, licet enim per se & physicè illa dæmones, utpote Spiritus, non tangant nec afficiant, tamen quicquid eorum nominibus fit, sibi fieri, pro superbia sua reputant: Et eadem est ratio de sputis & colaphis: licet enim hęc non probet Delrio, Thyræus, tamen Sanchez, Mengus, omnesq; Exorcistæ probant & practicant; non quod credant dæmones per se, ut suprà, illis torqueri, sed quia contemnuntur, & illa ægerrimè ferunt, ita ut fieri possit, quòd hæc opprobria ferre ex superbia non valentes, ab obsessis recedant.

Quoad colaphos tamen caveat Exorcista ne excedat, & misero energumeno illis noceat: alioqui enim, ut bene monet Sanchez, & per imprudentiam peccaret, & pro sublevamine energumeni, dolores & afflictiones ipsius augeret

Idem dicendum de incensis, quæ prudenter admoveri debent, ita ut energumenus illis non offendatur.

INSTRVCTIO XVIII.

Præter hæc, quædam dæmonum imagines tetræ & horrendæ ipsis cum exprobratione & irrisione exhiberi possunt cum illis verbis: Vos, qui quondam creaturæ tam nobiles & formosæ fuistis, ecce in tantam deformitatem & vilitatem devenistis, ut nihil vobis deformius & vilius reperiri

possit:

possit: hæ exprobrationes sæpiùs cum contemptu repetitæ, dæmones maximè confundunt, & exasperant.

INSTRVCTIO. XVIIII.

Et quia nonnulli quasdam formas & ritus, quos docti Theologi, & in hac materia probè versati non approbant, in suis exorcismis observant, illis relictis utatur solùm iis, quę à doctis & peritis Exorcistis recepta sunt: hinc nihil mãdet dæmonibus sub pœna excommunicationis propriè dictæ, prout aliqui in principiis Theologiæ minùs versati faciunt, quia illa pœna dæmonibus non quadrat.

Dixi propriè dictæ, quia hęc forma in quibusdam Ritualibus, & Authoribus approbatis reperitur; sed excommunicatio ab illis impropriè accipitur, pro execratione & maledictione, cuius capaces sunt. An autem liceat mandare dæmonibus superioribus, ut dæmones hominum corpora obsidentes & rebelles crucient & expellant? controvertitur inter doctos: affirmativam tenent & practicarunt doctissimus & in omni scientiarum genere versatissimus Sylvester V. adjuratio, Mengus & Felisius ex Ordine Minorum, & alij: Negativam verò Sanchez la Torre, & alij nonnulli; quorum fundamentum non est ita solidum, quin possit optimè resolvi: Vnde Exorcista potest liberè sequi primam opinionem, cum hac tamen modificatione, quòd nolit per eiusmodi mandatum, quidquam petere à Dæmone superiore, nec eius auxilio uti, prout supponit Sanchez, sed tantùm cogere ex parte Dei ut rebelles illos puniat & expellat, quod nullo modo auxilium importat.

INSTRVCTIO XX.

Licet vis exorcismi, in vocis contentione, aut passionum vel affectuum excitatione, quibus aliqui frustra se fatigant, non consistat, ut bene monet Manuale Antuerp. instruct.

IV. attamen modus adjurandi Dæmones, & eis imperandi debet esse vehemens, durus, asper, increpativus, & contemptibilis, tam verbo quàm signis, & nullatenus blandus, mollis, fœmineus, amicus vel timidus, prout aliquando fieri vidimus, Dæmonibus applaudentibus, & de eiusmodi Exorcistis multùm gaudentibus: Ratio est, quia spiritus superbi ægerrimè, ferunt, se ab hominibus, ita ridiculè, contemptibiliter, & imperiosè tractari: Recordetur Exorcista, qualiter Christus Math. 7. se erga eum dæmonem exhibuerit, quem expellere voluit. *Surde*, inquit, *& mute Spiritus ego præcipio tibi ut exeas ab eo* &c. Idem fecerunt ipsius Apostoli & Discipuli, alijque Patres & Exorcistę, qui idcirco, idem ad Exemplum Christi faciendum monent. Vide la Torre pag. 177.

INSTRVCTIO XXI.

Quia spiritus nequam ad linguam venire coactus, interdum illam deserit & fugit, ne cogatur respondere ad interrogata, vel aliqua secreta, quæ ad expulsionem eius conducunt detegere. Exorcista hîc omnem prudentiam, & operam adhibeat, ut illum in lingua retineat, & si fieri potest ita liget, ut nec illam nec corpus deserere valeat: quod ut obtineat, in ipso principio, omnia mandata, cum suis circumstantijs formulis & pœnis supra expressis adhibeat, & interdū pendente exorcismo, reiteret: Et si ijs non obstantibus exierit, animo declinandi exorcismos, & pœnas adhiberi solitas, omnibus modis eum reingredi cogat, adhibitis ijs omnibus quæ ipsum cogere & cruciare possunt.

INSTRVCTIO XXII.

Quoniam autem dum in lingua remanere cogitur, & cruciatur, horribiles sępissimè contra Deum eiusque sanctissimam Matrem & Sanctos blasphemias evomit, Exorcistam & astan-

& aſtantes iniurijs & calumnijs afficit, ſtatim ſilentium illi ſub omnibus pœnis imponat, his verbis: Obmureſce maledicte Spiritus: & pro blaſphemijs omnes pœnas Eccleſiæ poſſibiles imponat, veniamque à Deo & Matre eius ac Sanctis quos offendit, etiam genibus flexis manibuſq; junctis rogare cogat, prout & aſtantibus, ſi quos offenderit, quod centies fecimus & obtinuimus.

INSTRVCTIO XXIII.

Et quia curioſi quidam interdum rogant Exorciſtas, ut quædam curioſa, impertinentia, & ad exitum nihil conducentia illis imperent, nullatenus ipſis hac in re deferant, aut obediant, ſed Eccleſię, quę talia expreſsè prohibet & ſeriò mandat, ut illa dumtaxat petantur quę ad illorum expulſionem conducere videntur. Quæ autem illa ſint, vide ſuperiùs, & bene obſerva, nec ab illis cuiuſcumque reſpectu recede: alioquin non ſolùm offendes, ſed oleum & operam perdes.

INSTRVCTIO XXIIII.

Quia ſæpè experti ſumus vafros & aſtutos illos Spiritus, velle fatigare Exorciſtam, ideoque ſæpè per plures horas in ſua contumacia & rebellione perſiſtere, antequam obediant, ut ſic Exorciſta cedat, & animum abjiciat, ideò hîc cautus ſit, & quantumvis dicant ſe non pariturus, non idcircò exorciſmum incœptum deſerat, aut interrumpat, ſed cum magna fide, patientia & humilitate continuet, & proſequatur, donec intentum ſuum aſſecutus fuerit, & illos nō ſolùm vicerit, ſed etiam ſe victos confeſſi fuerint. Quod centies fecimus & obtinuimus: ſi enim Exorciſta cedat dęmoni, & ab eo ſemel vincatur, ſuperbus ille dęmon, inſoleſcet, gloriabitur, & vix inpoſterùm parebit: quod ab omnibus Exorciſtis bene notari & obſervari velim, ne ſe ridiculos dæmonibus exhibeant.

INSTRUCTIO XXV.

Sit firmus in fide Exorcista, in Deo, pro cuius honore & gloria laborat, spem totam reponat, dæmonem quantumcumque minetur, non plusquam catulum timeat, quandoquidem ne quidem capillum absque Dei permissione auferre possit: certè aliquando contra me ensem eduxit & vibravit, ut suprà dixi, cultros & alia arripuit, sed frustrà, Deo eum cohibente: Si verò Deus ipsi permittat, ut te interdum in bonis vel corpore, aut aliter lædat, perfer patienter, & patientiâ tuâ illum confundes & vinces, Deumque tibi propitium & favorabilem reddes: crede experto, videbis quòd hæc monitio vera sit, & de illa gaudebis.

INSTRUCTIO XXVI.

Caveat insuper Exorcista quidquid dæmon minetur, reluctetur, & parere renuat, ne ullum unquam timoris, impatientiæ aut diffidentię signum ostendat.

Caveat insuper summopere ne contra Deum murmuret, aut conqueratur, si quando interdum dęmonem in sua erga energumenum sævitia, & inobedientia relinquat, quia sępè patientiam & fidem tam Exorcistæ, quàm energumeni vult probare, & utriusque merita augere. Hoc enim Exorcistam scire velim, quòd licet tantam virtutem ipsi Deus conferre possit, ut statim ad eius mandatum, dæmon pareat, & exire cogatur, non tamen semper illam confert, sed sinit ipsum in sua libertate, an velit obedire vel non sicut homines: attamen, sicuti illis per inspirationes internas, flagella, prædicationes, aliaque media abhibet stimulos ut obediant, ita cum illis spiritibus nequam agit, ut hâc viâ cogantur Exorcistis parere, & tandem exire: stimuli autem illi sunt omnia suprà relata, crux, reliquiæ, cera sacra, incensum benedictum, ruta benedicta, virgæ, sputa, colaphi, irrisiones, exprobratio-

probrationes, contemptus, Exorcismi & alia id genus: Si tamen finaliter his non cedunt, vim coactivam dictis mediis & exorcismis, quando expedire judicat, confert, quam posset dare in principio si vellet, cui nullatenus dæmon resistere posset: quocirca, ut suprà monuimus, debet instanter, patienter & importunè, quotidie, post sacrum maximè, per tres, quatuor & ampliùs horas in illo arduo quidem, sed plurimùm meritorio munere perseverare, ut millies fecimus, exemplo multorum Sanctorũ, qui sæpè non solùm per menses, sed plures annos, pro liberatione unius energumeni, magno studio & zelo laborarunt.

INSTRVCTIO XXVII.

Quia sævi illi humani generis hostes, non solùm eos quos obsident miserè affligunt, torquent tam in anima quàm in corpore turbant, sed etiam confessionem, communionem, piaque omnia exercitia ac laborem ipsum, somnum cibum & potum impedire moliuntur, atque in eum finem, modò unam, modò alteram corporis partem occupant: sed caput maximè, ut intentum suum assequi possint, Exorcista ad omnia ista diligenter advigilabit; & ideò, ad omnes exorcismos ipsis rigorosè, sub omnibus pœnis mandabit, ut quoad præmissa omnia eos liberos sinat, & in eum finem semper præcipiat, ut caput deserant, & ad unguem parvi digiti dextri, vel sinistri pedis, semper ante finem exorcismorum remittat, tanquam ad locum illis, toto tempore quo corpus possidebunt, assignandum. Et ne subdolus Dæmon illum decipiat, sub prædictis pœnis mandet, ut sine fictione, realiter ad locum istum ipsi assignatum descendat, ibique fixus ligatus maneat, & in signum suæ præsentiæ, terram bis ter plus vel minùs, prout visum fuerit, pulset: hęc praxis ab omnibus Exorcistis bene & exactè observari semper debet, donec Dęmon egrediatur.

INSTRVCT.

INSTRUCTIO XXVIII.

Quia sæpè Dæmon modò in una parte modò in altera, misero Energumeno suum cruciatum infert, guttur & ventrem inflat, pedes brachia & manus occupat, torquet, & invertit, ita ut impotens & ad omnia inhabilis reddatur, cum mandatis & remedijs supra expressis: hoc semper ad manum habeat: Per signum & virtutem sanctæ crucis recede hinc, quod pollice in formam crucis, super parte afflicta, & à Dæmone occupata, cum magna fide faciat, donec Dæmon illam deserat; hoc remedium inveniet efficacissimum, quod proinde ipsos Energumenos exactè docebit, ut extra Ecclesiam illo uti possint, quando contigerit eos vexari: Et quia superbus Dæmon, in capite, quantum potest, sedem suam figere conatur, hoc remedio, tam ab Exorcista, quàm ab Energumeno, ex illo expellatur, uti & ab omnibus alijs donec ad locum assignatum redierit; quod rursus ab Exorcistis bene retineri velim: hâc enim ratione, miseros plurimùm sublevabunt.

INSTRUCVIO XXVIIII.

Quia plerumque, uno Dæmone egresso, aliqui remanent in corpore obsesso (prout supra monuimus contra dictos Theologos, qui defectu praxis contrarium sentiunt) Exorcista totis viribus, & sub omnibus pœnis Dæmoni principali mandabit, ut secum omnes ita educat, ut nullum ex socijs suis, in obsesso relinquat, neque ampliùs ad ipsum, cum ipsis, aut alijs redire præsumat, aut in locum suum remittat. Hæc duo exactè observet Exorcista: aliàs enim vel Dæmon egressus redibit, vel certè alios in locum suum mittet, prout experientia quotidiana fidem facit. Hinc ipse Christus (omnes Exorcistas suo facto docere volens) quando spiritum unum ejicere voluit, hoc observavit his verbis, *Surde*

&

& mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, ampliùs ne introeas in eum. Vides prout sæpè monui, quàm durè & aspere Christus Spiritum illum tractet, & quod ipsi imperet ne ampliùs introeat in eum ? quę documenta pluries repeto & inculco, ut Exorcista illa bene memoriæ imprimat, & sedulò observet.

INSTRVCTIO XXX

Ad hæc omnia conetur Exorcista, tam per se quàm per adiutores exorcismos longo, ut dixi tempore, absque ulla serè interruptione, in quantum licebit, continuare, ut spiritus obsidens nullam requiem habere possit: aliàs enim, si exorcismi interrumpantur vires resumet, hâcq; viâ, & fortior & pertinacior reddetur; multùmque negotij & laboris Exorcistæ postmodum facesset, prout sępè experti sumus, modòque si unquam experimur, quia exorcismos omittere ad evitandam molestationem debuimus, ut proinde nemo mirari debeat, si Dæmon non obediat, ut priùs.

INSTRVCTIO XXXI.

Et quia piarum personarum preces, ad expellendos dæmones plurimùm conducunt, ut plurimis ex historijs patet, Exorcista, si fieri possit, tales non solùm admittet, sed etiam rogabit ut adesse velint: blaterones autem irrisores, & otiosi, omnis sæpè pietatis ac devotionis expertes, qui ad tristia sanè hujusmodi spectacula tanquā ad ludos, choreas aut comędiā conveniunt, nunquam admittantur, vel si jam, contra voluntatē Exorcistæ intraverint, moneantur seriò, ut devotè & modestè sese contineant absq; risu, cachinno, aut indecenti actione, vel sermone. Ipsiq; & alij quicumque moneantur, ut non conveniant curiositatis causâ, sed ex bono motivo, ut ex his quæ vident, discant timorem Domini, in manus talium hostium incidere reformident, & pro Energumeno ferventer orent: sic enim Exorcistam plurimùm juvabunt

bunt, quem aliter faciendo impedient & retardabunt.

INSTRVCTIO XXXII.

Dæmon egressurus, interdum petit ab Exorcista, prout sæpè nobis contingit, potestatem huc vel illuc eundi, hæc vel illa faciendi, promittens, si id ei concedatur, se absque mora vlteriori exiturum: In his igitur ipsius petitionibus, Exorcista sit prudens, & circumspectus. Primò caveat, ne quando aliquid contra Dei honorem, & proximi salutem, aut utilitatem postulat, ipsius petitioni unquam acquiescat: Vnde licet vel unicum Energumeni crinem, vel quid simile petierit, nunquam ei concedendum: Imò nec expedit loca quædam particularia, licet remota & deserta, ad quæ aliquando remitti petit, ipsi concedere: melius & tutius fuerit, si Exorcista ab eius petitionibus se expediat, & ad locum à Deo ipsi paratum remittat.

INSTRVCTIO XXXIII.

Quando vi exorcismorum, & aliorum mediorum, de quibus supra, Dæmon tandem victus, declarat se velle exire, Exorcista seriò meminerit, hæc illi rigorosè sub omnibus pœnis imperare. Primò, ut egrediatur absque ulla obsessi, suæ personæ, & astantium læsione, Ecclesiæ rerumque ad illam spectantium, damno, & incommodo. Secundò quidquid in contrarium dicat Soto, ut suprà, ut det signum aliquod sensibile sui exitus, ut frangendo vitrum, extinguendo candelam, vel aliud simile, per quod de exitu ipsius constare possit: licet enim dato tali signo, iterum possit redire, Exorcista tamen erit securior, & pro reditu quem urget Soto, remedium adhibere poterit, aliterq; providere. Tertiò, quia interdum cum magno fœtore exire solet, qui astantibus nocere posset, ei quoque seriò mandetur, ut ab eo abstineat: Si tamen signa prædicta exitus sui dare nolit, sed alia, quæ

illum

illum sufficienter manifestent; imò si nullum prorsus, ex superbia sua dare velit, non est quod multum contra eum Exorcista contestetur, sed sinat sic illum abire: ipsi sufficiat quod intentum suum principale, quod est eius expulsio, assequatur: sic enim nobis non semel contigit: quando autem sic absq; ullo exitus sui signo exit, Exorcista iterum ipsi sub omnibus pœnis reditum inhibeat, & per tempus aliquod exorcismos ad hoc proprios & conducentes continuet, atq; liberatum omnibus remedijs spiritualibus armet, Sacramenta frequentare curet & in timore Dei contineat, Deoque ex sua parte in precibus & sacrificijs commendet.

INSTRVCTIO XXXIIII.

Diximus suprà, tam maleficiatos quàm energumenos, tempore exorcismi tremere: Quæres igitur quomodo ex isto tremore dignoscatur an quis sit obsessus vel maleficiatus tantùm? ecce tibi hoc signum, longâ experientiâ & praxi à nobis frequentissimè notatum trado.

Tremor maleficiati, est uniformis, & aliquomodo lentus, & in manibus potissimùm videtur: Tremor autem energumeni, est valde difformis, modò celerrimus & violentus, modò remissus & interdum quasi extinctus, dæmone recedente & latitante. Deinde non solùm in manibus, sed sæpè in toto corpore ita tremit, ut per astantes retineri & iuvari debeat.

INSTRVCTIO XXXV.

Superbi spiritus, veriti ne signum exitus sui dare cogantur, sicq; in ipso egressu confundantur vel humilientur, ipsimet interdum sponte suâ, signa quædam exhibent, his modis: Primò quidem aliquando clamores horribiles & insolitos edunt, terribilem quendam tremorem & furorem extraordinarium in facie & oculis ostendunt, linguam crassā

longam & horrendam educunt, os verò latum ad fauces usq; adaperiunt cum multa spuma, ita fœtida & sordida, ut aspicientibus horrorem incutiant prout pluries vidimus & experti sumus. Secundò exitum suum etiam vomitu & ejectione rerum quarundam fœtidarum & extraordinarium manifestant. Tertiò & frequentissimè cum obsessi cruciatu & collisione insolita, nec non deliquio ex nimio sæpè cruciatu, qui sævo spiritu egresso, ad mediam interdum plus minus horam, quasi mortuus jacet absque ullo ferè sensu, prout novissimè, bis vel ter experti sumus.

INSTRVCTIO XXXVI.

Si his omnibus factis(sive dæmon signum exitus dederit sive non) obsessus nihil amplius in corpore sentiat, nec ullã molestiam aut dolorem patiatur idque per plures dies ac menses, ita ut quietè dormiat, benè edat, bibat, & laboret prout ante, aliaq; necessaria corporis & animæ officia absq; ullo impedimento & obstaculo obeat, signum magnum est perfectę liberationis, quo casu Exorcista, gratiarum actionẽ prout in manuali habetur piè & devotè referat prout supra monuimus ex parte sua, inhibeatque iterum dæmonibus egressis per omnia supra dicta, & sub omnibus pænis ne unquam amplius ad illum per se vel per socios redeat aut alios in suum locum remittat, in quibus mandatis sit valdè exactus, attentus & sollicitus, ne quid horum ex oblivione, vel inadvertentia unquam omittat: Deinde moneat seriò liberatum, prout & supra aliquoties monuimus, ut toto vitæ suæ decursu, memor sit beneficij præstiti & vivat in timore Dei, vitam commutet, sæpè Sacramenta cum magna puritate & pietate frequentet, atque super omnia ab omni blasphemia, juramento, execratione, lascivia, & alijs peccatis mortalibus sedulò per Dei gratiam abstineat, ne dæmon expulsus, propter

ter eiusmodi peccata & ingratitudinem redeat, sicq; fiant posteriora pejora prioribus, ut supra monui, in quo monito, meis instructionibus finem impono ut aliquid de incubis quarta parte dicam.

APOLOGIÆ

Pro Exorcistis, Energumenis, Maleficiatis & ab incubis molestatis.

PARS QVARTA

De Incubis & Succubis.

QUoniam multi ex incredulis, de quibus libris superioribus egimus, vel ex ignorantia, vel pertinacia & temeritate, omnia quæ de incubis & succubis in Scholis traduntur, cum Hæreticis, & malis ac suspectis Catholicis tanquam somnia & vetularum deliria (sic enim quidam loquuntur) irrident & rejiciunt, pauca hâc parte, ad ea quæ cap. 9. 10. & 13. diximus, adjiciemus, ut Exorcistæ aliqualem illorum cognitionem habeant. Primò igitur inquiremus an sint incubi & succubi: Secundò, quotuplicis generis sint: Tertio, quibus remedijs Personæ ab incubis & succubis vexatę juvari & liberari possint, ut Exorcistæ, si in tales inciderint, ea ad manus habeant, ijsque utantur.

CAPVT I.

An dentur Dæmones incubi & succubi?

SCioli quidam, sed hâc in re ignari prorsus & temerarij, credũt quidẽ esse dæmones, sed quia audierunt esse spiritus, hinc sibi persuadere non possunt esse incubos aut incubas, hoc est, actus venereos cum maleficis, aut aliis exercere: sed contrarium in Scholis ita receptum est, ut S. August. D. Thomas, alijque omnes pro temerariis eos omnes haberi & reputari velint, qui illud inficiari audent: Audiant isti increduli Eximium illum Doctorem lib. 15. de Civit cap. 23. Quoniam celeberrima fama est, multique se expertos, vel ab illis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audiisse confirmant inveniri, silvanos & faunos, quos vulgò incubos, ut vocant, improbos sæpè exstitisse mulieribus, & earum appetiisse ac peregisse concubitum, & quosdam dæmones, quos Dusios Galli nuncupant, hanc assiduè immunditiam & tentare & efficere, plures, talesque asserunt, ut hęc negare impudentię videatur &c. Quid ad hæc incrudule? an tu Augustino acutior, solertior, & doctior? Sed & audi, pro omnibus Theologis, Principem Scholæ Theologicæ Doctorem Angelicum 1. part. quęst. 51, art. 3. sequentem doctrinam Sancti Augustini: Ad 6. dicendum, quòd sicut Augustinus dicit c. 15. de Civit. Dei, multos se expertos vel ab expertis audiisse confirmant silvanos & faunos (quos vulgò incubos) improbos sæpè exstitisse mulieribus & earum expetisse atque peregisse concubitum: unde hoc negare, impudentiæ videtur. Et paulò pòst: Si tamen ex coïtu dæmonum aliqui interdum nascantur, hoc non est per semen ab eo decisum, aut à corporibus assumptis, sed per semen alicuius hominis ad hoc assumptum, utpote quòd idem

dæmon

dæmon qui eſt ſuccubus ad virum, fiat incubus ad mulierem &c. Quid ad hæc iterum incredule ? an tuum judicium illius prȩferes ? Addiſce ergò, quòd licet dæmones, utpote ſpiritus, corpus verum non habeant, poſſunt tamen vel defunctorum damnatorum corpora aſſumere, vel de novo ex aëre & aliis elementis ad carnis ſimilitudinem palpabilia effingere & formare, eaque pro libitu ſuo movere, calefacere, ijſque ad nequitiam ſuam peragendam uti: atque hâc ratione, quem naturâ non habent ſexum, artificiosè exhibere, & viris ſpecie fæmineâ, fæminis, ſpecie viri abuti & has ſubjicere, & illis ſe ſubſternere: poſſunt etiam, ut audiviſti ex S. Thom. aliundè acceptum verum ſemen adferre, & naturalem eius emiſſionem imitari. Hæc pro Exorciſtis ſufficient, ad redarguendos incredulos: veniamus ad ſecundum punctum.

CAPVT II.

Quotuplicis generis ſint incubi & ſuccubi?

VAria ſunt hac de re incredulorum & ignarorum judicia: ſunt aliqui, qui nec dȩmones, nec ſagas credunt, ideòque omnia quæ dicuntur de incubis, irrident: hi impij homines Hæreticis ſeu potiùs Atheis annumerandi ſunt. Sunt alij: qui dæmones & ſagas quidem credunt, ſed omnia quæ de incubis dæmonibus dicuntur, ut ſuprà diximus, explodunt, aſſerentes illos dæmonum coïtus non fieri niſi per imaginationem: ita Wierus & multi temerarij cum ipſo: hoc enim ipſo, quo credunt & aſſerunt, omnia quȩ à dæmonibus & ſagis fieri creduntur, eſſe illuſiones & deceptiones

nes & nihil ex illis fieri nisi per imaginationẽ, nõ solùm universi Orbis judices, ignorantiæ, erroris & injustitiæ insimulant, quæ dictas sagas pro istis criminibus, supplicio afficiunt, sed ipsam Ecclesiam, quæ Inquisitores contra sagas earumque crimina, deputat, & puniri mandat. Vide Innocentium octavum diplom. ad Inquisitores. Certè, quicumque sagas & maleficos eaque quæ de illis traduntur, negant: vel se Atheos produnt, aut certè de Magia vehementer suspectos reddunt. Sed illis relictis, ad alios veniamus. Sunt tertio loco qui credunt, Dæmones in corporibus assumptis verè cum sagis abominandos illos coïtus habere, adeoque illas propter nefandum illud crimen iure merito comburi, sed de personis timoratis, id credere non possunt. Dico igitur esse duplicis generis Personas quibus Dæmones, se incubos vel succubos exhibent: sunt enim quæ execrandos illos concubitus vel desiderant vel refugiunt, & tales sunt malefici, vel maleficæ de quibus iam egimus.

Præter illas, sunt aliæ, quę quidem Dæmones incubos habent, prout sagæ, sed invitæ prorsus repugnantes. Quod ad has attinet, multi aliàs docti, adduci non possunt, ut credant Deum permittere, quòd filiæ castæ & timoratæ, maximè moniales, ab incubis eiusmodi dæmonibus cognoscantur, & vexentur, sed illos hac in re falli, defectu lectionis & praxis suprà cap. 9. & 13. abundè probavimus, multis certisque exemplis, ex Authoribus probatis & fide dignissimis productis: Videant increduli illi, si mihi non credant, Cæsarium locis suprà citatis, Thomam Cantiprat. & Mengum qui testantur, se vidisse & direxisse Moniales, quæ tales incubos habuerunt, nec liberare potuerunt. Videant Authores Mallei maleficarum p. 2. q. 2. c. 1. qui expresse testatur cum Mengo, plures eiusmodi suo tempore vixisse,

Videant

Videant Simonem Maiolum suprà citat. Wierum, & alios. Et quia plus fortè credent uni ex societate, legant R. Patrem D'Oultreman, in lib. cui titulum fecit gallicè, *Le Pedagogue Chrestien*. tom. 2. pag. 594. & assertionem meam verissimam agnoscent: ibi videbunt, sanctissimam & castissimam quandam Monialem, dictam Alexiam le Clerc, non solùm fuisse à Dæmone obsessam, sed etiam totis viginti annis ita omnibus actibus venereis vexatam, molestatam, & non rarò vim passam, absque tamen ullo consensu, ut vix credere posses, nisi probatos pro hac re authores producerem. Vide, quæso, quicumque hoc caput leges, quę de ipsa scribit dictus D'Oultreman loco citato: Vide tu quoque incredule, hanc historiam, & credo quòd eâ perlectâ, veritatem meæ assertionis agnosces, illa obijt anno 1622, sed de his satis: veniamus ad tertiũ punctum, & doceamus, quid Exorcistæ faciendum sit, si quando Personas ab eiusmodi incubis molestari reperiat.

CAPVT III.

An Personæ ab incubis Dæmonibus vexatæ & molestatæ, juvari & liberari possint?

DIco primò, Ex Cęsario, Mengo, & alijs suprà citatis constat, quòd eiusmodi Personæ, nonnisi cum maxima difficultate liberentur: certè Mengus licet Exorcista expertissimus, refert loco citato, se quandam Monialem ab eiusmodi incubo molestatam, omnibus modis conatum fuisse liberare, sed non potuisse: Idem, refert suprà Cantipratanus. Idem videbis in Nidero, in suo formicario.

 Dico

Dico tamen secundò, eiusmodi personæ auxilio verè dignæ, possunt varijs modis juuari & liberari, quos bene observet Exorcista, si fortè tales occurrant. Primò & antè omnia monendæ sunt, ut confessionem generalem totius vitæ, cum magno dolore, & proposito emendationis firmissimè præmittant, & si fortè peccatum aliquod ex pudore celaverint, de hoc maximè doleant, quoties celaverint aperiant, & abunde quoties fuerint confessæ cum illo pudore, & quoties communicaverint; quæ in confessione generali, specialiter exprimenda erunt: hæc de confessione breviter.

Dico Secundò: post eiusmodi generalem confessionem quotidie, si fieri potest, communicent, & sacro assistant, atque liberationem, si saluti conducat, cum magno animi affectu, à Christo Iesu, quē tunc in corpore habent, postulent: Ad B. Virginem pariter cum magna pietate recurrant: Angelum suum interpellent, & Sanctos, vel Sanctas, qui & quæ ab eiusmodi incubis Dęmonibus vexati, & vexatę fuerunt: & quidem inter Sanctos D. Antonium & inter Sanctas, Mariam Magdalenam.

Dico Tertiò, his præmissis, locus & thalamus, in quo Persona vexata degit & dormit, benedici & exorcizari debet, ut suprà, idque frequenter, adhibito incenso, & cereo benedicto. Potissimùm autem omnia loca aquâ lustrali frequenter aspergi debent, vel aquâ Gregorianâ si habeas.

Dico Quartò, Imagines Christi crucifixi, & Beatę Virginis, necnon Sacræ Reliquiæ, palmæ benedictæ, & sacra Cera ad quatuor lecti angulos apponi debent, nec hoc satis, ipsa Persona afflicta debet & sacras Reliquias, & dictam sacram Ceram in collo deferre.

Dico Quintò, si hæc non prosunt, condormiat filiæ castæ & timoratæ, quę locum suum occupet, hoc enim modo aliquæ liberatæ sunt.

Dico

Dico Sextò, si hoc non obstante, Dæmon incubus compareat, dicat intrepidè & cum magna devotione salutationem Angelicam, nam & hâc ratione aliquæ quoque à tyrannide Dęmonis ereptę fuerunt. Insuper clamet: Benedicite: hoc remedio Dæmones incubi, fugatos fuisse refert Mengus & alij.

Dico Septimò, si nec hæc prosunt: jubeatur domicilium mutare: quo remedio quandam filiam liberatam fuisse refert Cæsarius, ut suprà dixi.

Dico ultimò, Si hoc non prosit: ferat patienter cum Alexia le Clerc pro suis peccatis.

CONCLVSIO AD LECTOREM

HAbes igitur Lector Benevole, in hac nostra Apologia quid sit obsessio, quid maleficium, quomodo, propter quid, & qualiter illa eveniant, quibusve signis ac indicijs obsessi atque maleficiati dignoscantur, & quibus remedijs, ac modis liberentur. Vides in hac functione, Ecclesiæ Catholicæ potestatem, quæ spiritus illos crudeles licet fortissimos & potentissimos miris modis cruciat, torquet, parere cogit, & ab hominibus expellit: Cernis ex altera parte, Dæmonum nequitiam, insolentiam & sævitiam: hæc omnia tibi timorem incutiant, in Dei servitio & tremore contineant, ne in illorum crudeles manus, in hac vita, vel in altera incidas. Insuper hîc tibi ad oculum apparet, quanta sit miserorum Energumenorum miseria & afflictio, quantoque in discrimine, noctes & dies versentur, pro quorum sublevamine, & consolatione tuam charitatem, quicumque hæc

 leges

leges, rogo & obſecro, ut frequenter Deum & B. Matrem eius, afflictorum Conſolatricem ores, uti & pro Exorciſtis qui illud arduum laborioſum moleſtumq; onus obeunt, ut Divina Clementia illos adjuvet, animet, vires illis augeat, & contra perſecutiones, moleſtationes, oblocutiones (quibus omnes ferè exponi contingit) armet,& in ſua protectione conſervet: Cave etiam ſummopere ne miſeros Energumenos vllo modo vexes, turbes, moleſtes aut affligas, prout quidam, non ſine gravi crimine faciunt, qui eos plerumque tamquam fictores & ſimulatores crudeliter repellunt, arguunt & perſequuntur: Si autem opus illud exorcizandi Deo gratiſſimum, & ſummè meritorium exercere velis, habes hîc abſque ſtudio & labore omnia quæ ad illud ritè obeundum requiſita ſunt, habes in promptu, quæ multis ſtudijs laboribus & longâ experientiâ didici, tu illis ſecurè fruere & vtere, ac Deum in tuis ſacrificijs ac precibus pro me deprecare, ut poſt hanc miſeram & laborioſam vitam, fœlicem & æternam mihi concedat. Amen. Vale Lector benevole.



Index Capitum in prima parte huius Apologiæ contentorum.

Index Capitum Partis Secundæ, quæ est de maleficio & maleficiatis.

Index Capitum Partis Tertiæ.

Index Capitum Partis Quartæ.

F I N I S.

